



ANNVÆ
LITTERÆ
SOCIETATIS
IESV

ANNI. M. D. LXXXV.

AD PATRES, ET FRATRES
eiusdem Societatis.




ROMÆ,
In Collegio *eiusdem Societatis.*
M. D. LXXXVII.
Cum facultate Superiorum.

СИМВОЛ
СИЛА ТА
СИЛА ОВ

231

СИМВОЛ СИЛА

СИЛА ОВ СИЛА



СИЛА ОВ

СИЛА ОВ СИЛА ОВ


СИЛА ОВ СИЛА ОВ

СИЛА ОВ СИЛА ОВ

ANNVAE LITTERAE
SOCIETATIS IESV
ANNI. M. D. LXXXV.

P A T R I B V S , F R A T R I B V S Q .

Societatis Iesu, gratia, & pax
Christi Domini, &c.



NGREDIMVR P. F. Q. C.
huius saeculi annum quintum & o-
ctogesimum, ingentem lætitiae sege-
tem ac mæroris. Lætitiam attulit
nouum ac præclarum ad summum
Christianæ religionis Antislitem le-
gationis genus, cum Rex Bungi Franciscus, & Rex
Arimensis Protasius, Omuræq. Princeps Barpo-
lemæus, nostro hoc saeculo ad Euangelij lucem voca-
ti, Mantium & Michaelem spectatissimæ virtutis
adolescentes, et sibi sanguine coniunctissimos ad ex-
hibendam suo nomine obedientiam Gregorio XIII.
Pont. Max. publicis cū litteris huc miserunt. Quid
enim Societati lætius, celeberrima in Urbe conspi-
ci primos quosdam Iaponicæ Ecclesiæ fatus, quos
Christo IESV suis ipsa laboribus procreasset? eosq.
ingentibus vniuersorum studijs, infinito multitudi-
nis plausu, incredibili tum Antislitem omnium, tū-

summi Sacerdotis gratulatione suscep^tos, omni officiorum genere, omni honore iudicioque decorari^s. Latebant antea in vltimis terrarum angulis preclarae à Societate res gestae, & modicis circu^script^e finibus, tot marium immensitates transmittere, tot terrarum spatia superare vix poterant. itaque per paucorum aures in Iaponia quid gereretur acceperant, pauci disiunctissimae illius Ecclesiae incremen-
 ta cognorant: tantum ex ijs locis famæ ac rumoris afflarat, quantum vel rari nuntij, vel mutæ nostrorum litteræ pertulissent. At postquam nobilissimo-
 rum Regum legati ac propinquⁱ è suis profecti sedi-
 bus obire terrarum orbem cœperunt, & quacunq;
 iter facerent, vniuersa sui nominis fama complere;
 tū demum excitata sunt hominum studia, vt que
 vel nunquam nouerant, vel minus explorate noue-
 rant, curiosius de Iaponia requirerent. Quid porro
 ad hominum famam ac voluntatem maius, quam
 primorum nostrorum Patrum curas, tot annorum
 spatijs pro Iaponia ipsa suscep^tas, hoc vno tempore
 represeñtari vniuersas; agnoscij. eius Ecclesiae
 quasi parentem Societatem nostram, qua Deus in il-
 lis locis ad discutiendas ethnicæ vanitatis tenebras
 vsus sit administra? Sed in tam vberilætitie volup-
 tate, que est inconstantia rerum humanarum, ecce
 tibi turbatis repente rebus, ne letioribus forte euē-
 tibus efferremur, mœror ingens, et par luctus exo-
 ritur. Cecidit enim is, qui spes nostras alebat Grego-
 rijs præstati bonitate Pōtifex à quo siue externa,
 que detulit cōmoda, siue immunitates et iura, qui-
 bus

bus nos auxit, siue perhonorifica iudicia, quae do
hoc ordine seper fecit, animo repetamus; plura for
sitā ab eo ad nos profecta reperiemus, quam si ex
hac ipsa familia Pontifex prodijset. Atque ut à mi
noribus ordiamur, Vaticano Pænitentiariū Colle
gio cū pertenue rectigal esset, amplificauit. Non i
tiorū domui præter alias liberalitates, annuos dedit
reditus in perpetuum, diuturnasq; pensiones. Professo
rum Patrum domum, quam aliena misericordia su
stentat, statis anni temporibus ita leuabat, ut ratio
ne inita dati æris, reperta sit summa aureorum mini
mum sex millium. Quid de Romano Collegio dicam?
quoties ei in egeslate subuenit, cum rectigal esset
nullum, vnde tantæ familie numerus ali posset? Ia
cebat in squallore ac fôrdibus sumimæ miseriae. re
erat angustissima domi, spes foris asperior, ingens
æs alienum, quotidiana & sempiterna cura quæren
di victus ac cultus. itaque cum ad extrema iam ven
tum esset, nihil aliud reliquum erat, nisi ut consiliū
de minuendo cum Collegij, tum Scholarum nume
ro caperetur. Quod ipsum nihil erat aliud, nisi uni
uersæ Societatis Seminarium, & celeberrimæ Ace
demiae florē extingue. Sed desperatis prope rebus
& in angustum adductis, præsto fuit pietas tam li
beralis Patris, et Collegium hoc ex ultima pauper
tate ad honestum quendam & mediocrem fortuna
rum statum erexit, suppeditare caput per internalla
sumptus, sarcire præteritæ mendicitatis incommô
da, spe fouere melioris fortunæ, dum ad extremū
rectigal annūm aureorum quinque millium in sem

piternum tempus assignauit. Erat ei in animo cum amplificatione rectigalium, ipsam quoque augere familiam: eamque ob caussam à fundamentis noua testa construere inspexerat suis ipse oculis veteris habitationis angustias, viderat impendentes ruinas: et patria quadam miseratione ductus, egregium opus multis coemptis & solo æquatis ædibus inchoauit. Quod ut ad exitū perduci posset, annuas pensiones dedit ad annum usque vigesimum aureorum septē millium. Nec in hoc eius liberalitas consedisset, si vel vita suppeditasset, vel ne materia daretur iniuria, interrumpendum paulisper liberalitatis cursum existimasset. Longum sit iter ad omnia, si quæ Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, varijsq. Societatis locis beneficia contulit, singillatim enumerare velim. Penetravit eius benignitas in Iaponiam, & quatuor aureorum millia cum in Novitiorum domum, tum in varia Seminaria Iaponicæ iuuentutis attribuit. Sed cum multa & magna sunt, quæ in tanta eius erga nos beneficentia ad vitam & corpus pertinēt, tū vero plurima & maxima, quæ ad animarum fructum, et ad tuendam dignitatem valent. Nam ut multa, quæ decori esse poterant, cum ceteris ordinibus nobis voluit esse communia; sic quæ oneri fore videbantur, ea vel demēda curauit, si iam essent imposita, vel ne aliquando imponerentur, suis diploma tiscauit. Quot ille immunitates, quot exceptiones dedit? quam multa, quæ superiores sunt elargiti Pontifices, vel auxit, vel confirmauit? Quot in rem nostram præclare sanxit, decreuit, interpretatus est?

Sex-

7

Sexdecim extant Apostolicarum litterarum publica testimonia, quibus vel ab ijs nos onerib. eximit, quæ institutis nostris ac legibus refragantur, vel ijs nos commodis auget, quæ cū ad familiae nostra decus, tum ad res gerend.s peropportuna sunt. Non faciam v t singula diplomata plena his immunitatis exceptionibusq. percurram : patent omnibus & sunt in promptu. Illud vnum sit instar omnium, quo disciplina nostræ rationem institutumq. sic approbat, v t aduersarijs, d quibus id quoquomodo poterat oppugnari, sempiternum silentium indixerit. quæ res quam salutaris nostris fuerit, & iam satis intellectum est, et quotidie magis intelligetur. Age vero quæ fuit Gregorij de familia nostra semper opinio? qui sermones, quæ iudicia? quoties nos ab inuidorum sermone defendit? quoties nostræ famæ dignitatiq. consuluit? v t non minus ipse de existimatione nostra, quam nos ipsi, videretur esse solitus. Quid loquar facillimos ad eum aditus, qua benevolentia semper nostros admitteret & audiret? quæ paterno nostris vel angeretur incommodis, vel exultaret in rebus laetis? Quando vñquā se se obtulit occasio adhibendi nostros ad publicas causas, quare ille dimiserit? Extruebat noua in Vrbe Collegia, & eorum procurationi, quos præter nostros, vel sæpe reluctantēs præficeret, non quarebat. mittendi erat in peregrinas & longinquas nationes, qui res Ecclesiæ componerent, nec aliunde nisi è nostro numero petendos existimabat. Is ad Iacobitas, ad Cophotos, ad Maronitas, ad Græcos, ad Anglos & nostris misit

Is Sacerdotem item nostrum Apostolicæ Sedis nomine legauit ad Suecos, ad Sarmatas, ad Moscovitā. Is plurima ex adolescentibus contubernia ad Ecclesiæ Catholicæ propugnaculum excitata, vel administranda nostris traxit, vel nostrorum censuit legibus temperanda. non enim modo, quæ in Urbe cernimus, sed alia quoque multa, quæ proximis litteris enumerauimus Seminaria, nostrorum fidei, curæq. commisit. Quibus tot tantisq. à Gregorio in Societate positis beneficijs, simul ac nuntiata mors eius est, quæ præter omnium opinionem accidit, existimari potest; quam ingens mæror, omnium animos occuparit. ingenuimus ut decuit eius occasu, & subita recordatione tam beneficij patris acerbas lacrimas fudimus. Parentium mus ut parenti: & in eius morte publico luctu celebranda, habita est à nostris ad Apostolorum Petri & Pauli in omnium Cardinalium corona funebris laudatio: ut qui tot ab eo essent in omnium oculis orniati instructiq. muneribus; ab ijs etiam mortui laudes in luce conspectuque omnium celebrarentur. Verum, quamquam maior videbatur is dolor, qui ex eius interitu captus est, quam ut temporis medicina leniri posset; tamen ea nos consolatio sustentat, quod & si propensa illa Gregorij in nos voluntas, una cum morte pariter occidit; Deus tamen, in quo pridem spes nostras fiximus, nunquam moritur: quem speramus mentem illam protégendæ; tuendæq. Societatis, quam Gregorio dederat, eius quoque successoribus

bus donaturum. Nec inanes spes nostra erunt, vt
Sexti pollicentur initia. Qui non modo verbis
amantissimis, cum P. N. Generalem priuatim
alloqueretur, sed etiam re ac subsidio, quanta sit
illi cura Societatis, ostendit. Is cum in tanta inuidorum
multitudine, quanta noui Pontificatus occasione
subito in nos erupit, nobis ipsis mirifice fuit, quo
ties opus fuit; tum Iaponicorum Regum Legatis, So
cietatis fætibus & Alumnis, omne genus honoris
habendum putauit: abeuntesq. non modo omni mu
nerum varietate prosecutus est, sed in eorum quoq;
gratiam ad annuos Gregorij redditus aureorū quat
tuor millium, addidit duo millia, perpetuosq. ex tem
porarijs fecit. His initij, proximi qui consequuntur
anni, consentient, vt annue propediem litteræ decla
rabunt: nec dissimiles futuri sunt reliqui, Deo propi
tio, modo eius bonitati serio atque ex animo serua
tur. Sed his missis exordijs, quæ fuerint huius anni
fruges, quiq. huius status ordinis videamus. Ini
tus est nostrorum numerus ex his litteris, quas ac
cepimus, exceptis ijs, qui animorum causa domo
absunt, quorum haberi certa ratio non potest, sex
millia ac nonaginta tres. Desiderata sunt autem In
dicæ & Peruanæ Prouinciae, sat suis vtraque refer
tae Socij. non enim licuit per locorum interualla, cū
diu multumque otiosis à nobis expectatum sit, ab
vnaquaq. suum quasi pensum exigere. itaque ad
mirationi mora nostra non erit, qui dum pleni abso
lutiq. esse volumus, nec partem ullam Societatis
reliquam facere, quæ non his litteris comprehenda
tur,

*tur, coacti sumus, & hæc edere nondum opere per-
soluto, & carissimorum nihilominus fratrum expe-
tationem diu suspensam tenere. Dormie-
runt in Societate centum vnde trigin-
ta. Aggregati sunt quadrin-
genti & octoginta.*



11

PROVINCIA ROMANA.



SVNT in Romana Prouincia Pa-
tres, fratresq. omnino quingenti, &
quinquaginta quinque. In Professo-
rum Domo fere centum. In Col-
legio Romano centum circiter &
septuaginta. Tusculi decem. In Pro-
bationis Domo, unus, & sexaginta. In pœnitentia-
riorum Collegio, unus et viginti. In Anglicano sex.
In Germanico tredecim. In Roniano Seminario duo
& viginti. quibus urbanis Collegijs accessit proxi-
me Maronitarum, vbi par tantum versatur e no-
stris. Tybure duodecim degunt. Duo de viginti Se-
nis. Totidem Maceratæ. Tres & viginti Florentiæ.
Perusii sexdecim. Quatuordecim Recineti. In Laure-
tano Collegio, quinque circiter & quadraginta.
Quatuor tantum in Illyrico. Functi sunt vita quin-
decim. In Societatem recepti duo & quinquaginta.

PROFESSORVM ROMANA Domus.

Honestarunt hanc domum XI. Kal. April. Ia-
ponicorum Regum legati Mantius, & Mi-
chael

chael, eorumq. Iaponij Comites nobilissimi, Martinus, ac Julianus, eximiae probitatis Adolescentes. exceptiq. sunt, tum ingenti gratulatione nostrorum, tum publica, ut paulo ante significauimus, Ciuitatis laetitia. Quorum honestissimum ac celeberrimum in Vrbem introitum, totumq. apud Pontificem Max. in Amplissimo Cardinalium Consessu & magna Principum, Antistitumq. frequentia, legationis obitae munus; pluribus verbis commemorare, si res una omniū post hominum memoriam celeberrima, & tot iam scriptis, litterisq. testata, à nobis quoque memoria commendationem exposceret. Editus est nuper ea de re libellus, tā accurate persequens omnia, ut amplius quod desideres nihil sit. Is nobis labore hunc minuet, & quæ de horum Legatorum vel in Vrbem aduentu, vel per honifico per Indiam, Hispaniam, Italiamq. transitu scribenda forent, ea ipse perficeret vniuersa.

Cæterum notæ sunt huius domus pro animarum tuenda salute curæ atque vigiliae: sed cum innumera pene sint, quæ pro animis quotidie geruntur, paucissima tamen sunt, quæ litterarum desiderent diligentiam. Est hic Societas aucta nonnullis: Compluresque tam viri, quam fœminæ, ut nudum Christum iudi expeditiq. sequantur, contemptis opibus humanisque curis, varijs se se inclusere Cœnobij. Ac ie minor diuinorum præceptorum, quam consiliorū abita ratio videatur, excitati sunt ad æquitatis studium iustitiaeq. non pauci, ut quæ ex alienis bonis, vel per ignorantia detinebant, vel ad se consulto tran-

transfulerant, ea suis quaque Dominis restituerent. Inuentiq. sunt, qui ne aliena punctum temporis detinerent, fortunas suas renderent vniuersas, malentq. inopem vitam degere, quam contra officium vitam ipsam ex alieno tueri. Prohibitus praeterea est multorum aditus ab inimicorum sanguine atque cæde. Cumque exsules quidam Pontificium per interregnum Urbem essent ingressi, in cædemq. familia in primis nobilis conspirassent, cauerunt nostri, & ne quid in præsentia, ea familia caperet detrimenti, & ut in posterum tuta à periculo redderetur. Res externa, Dei primum, deinde etiam liberalium hominum beneficio satis commode se tuerit. Ciuis nobilis Genuensis, in primis diues, pensile nouæ basilicæ candelabrum purissimo ex argento in usus luminum consecrauit: regium plane munus, aureorum circiter duum millium, & sine æmulo candelabru. cuius amplitudo omnis palmorū octo, duodecimq; per ambitum: in quo multa latera, multeque facies cernuntur vndique, incredibili ornamento rum varietate, multiplici q. puerorum effigie, Iuuenum, Cherubim, Lychnorum, festarumque frondium, tantæ artis, ut claritatem possint dare vel singula: Lychnuchiq. elaborato opere nouem ab alatis duodecim pueris sustinentur, ea collocatione ac venustate, ut candelabrum omne, præsertim cum sua quisque luce fulserint, spectabile admodum reddant.

COLLEGIVM ROMANVM.

IN acerbissimo luctu Pontificie mortis, quo cum omnia in Societate redundabant, tum maxime ob accepta tot beneficia Collegium Romanū, res seu domestica, seu diuina, non male, Deo fauente gesta est. Iulius Grimanus Venetus cum generis splendore clarus, tum integritate ac fide, cum sex septemue annis ante, filium quem habebat unicum, familiae nostræ percupidum, æquissimo nobis animo concessisset (Is erat Marcus Grimanus, suauissimis moribus adolescens, quem matura iam virtus, ut anno octogesimo scripsimus, ex hominibus ad Deum transstulit) memor tam cari pignoris, ipse quoque moriens luculentam Collegio bibliothecam, & domus suæ non tam copiosam, quam lautam atque elegantem supellestilem dono dedit: Ac ne longius abeßet à filio, sepeliri eodem apud nos sepulchro voluit, ut cuius animo coniunctum iri se sperabat in cælo, eius quoque corpori cōiungeretur in terris. Summa eorum, quæ Collegio legauit, aureorum minimum duo millia. Cuius beneficentiam paucis post mensibus optima femina imitata est, quæ cum Societatem vix nosset (in quo vim magis diuinæ prouidentiæ perspicias) abiens è vita, aureos Collegio nummos mille quingentos, & ædes quasdam legauit. Quæ in tanto ære alieno, quanto premitur hoc Collegium, non leuia fuere subsidia. Sed hæc ab externis in externam rem. Alia in interiora à domesticis deriuarunt: nec enim minus horum

horum obitus disciplinæ virtutum, quam illorum mors nostris commodis fortunisq. consuluit. Disciplina exemploq. fuerunt cum omnes, quos in cælum vocavit Deus, (ut in Societate solent ij, qui extremum vitæ diem morte consciunt). tum Bellisarius Balduinus in primis, & Gulielmus Brusbe-ne Anglus. Erat Balduino pari probitate frater, & ut ambo eodem tempore, eademq. concordia ad diuinum se famulatum contulerunt; ita eodem ferme anno, eodemq. leti genere occubuerunt. par nobile fratrum ex agro Liciensi, quos coniuncta cū virtute nobilitas commendabat. Misit eos parens in Urbem, ut in Societatis sinu inter Seminarij conui-ctores, & moribus educarentur & litteris. Hic illi breui euaserunt ad summum, & pueritiam vix egres si, Deo Societatiq., primum suæ adolescentiæ florem consecrarunt. Sed noluit liberalitate Dominus vinci, & qui ei se sine cunctatione tradiderant, sine mora admisit ad præmium. Bellisario autem ut na-tu grandiori, quo plus forsitan palmae concederet, plus etiam reliquit agonis. Ex sanguinis vomitione pul nonu[n]q. vitio in phthisim incidit, quæ annum & eo amplius ita illum occupatum inpeditumq. tenuit, ut tanquam domestico inclusus carcere, toto illo interuallo lucem non viderit. Periucundum spe-taculum Deo, admirabilis adolescentis æquitas, qui nondum gustata suauitate vitæ, in tanta desperatio-ne salutis, tam longa ac diurna tabe, tanto virium languore, lectuliq. tædio, patientiam teneret. Quid cum ad plenum languorem venit? cum moueri lo-

co non poterat, neque suis membra viribus, sed alie-
nis erant versunda lacertis? quæ tum illi crux? qui
dolor? quæ nostrum omnium commiseratio? Appar-
bant corporis partes quedam longa exese desidia,
& tamquam anteuerterent viræ tempus, putri iā ta-
bo fluebant. Angebat crebra tusses, continens anhe-
latio, & inuiti pituitæ cursus: nihil ut ei solatio esset
preter id, quod vel Deus aliquando, vel fratribus sa-
lutationes afferrent. Ille uero semper equus, len-
tissimum hoc mortis genus numerabat in lucris, non
ignarus tanto sibi faciliorem cursum in cælum fo-
re, quanto plus colligendis in hac vita meritis es-
set loci.

Iam Gulielmi in pari probitate dispar obitus fuit.
qui cum vigere maxime videbatur, tum repentina
morbo, nobis rapitur inuitissimis. Cuius de virtute
plurima dici possent, si omnia committenda litteris
viderentur, sed quæ cōmitti recte possunt, ea breui-
ter perstringentur. Is claris ortus natalib. domi sua,
cum annū ageret decimum quartum, studiorū causa
Duacū mittitur, ubi tum primum Societatē nouit.
cuius fortasse opinione nonnulla mentem etiā de ea
cōplete suscepit. quæ cogitatio, quoniam nondū
suas radices egerat, post eius in Angliam redditum
oblivione potius, quam voluntate sensim excidit;
presertim in tanta hereticorum colluione, ubi om-
nia non modo teneros inficiunt animos, sed etiam ro-
bustos ac confirmatos à virtute detorquent; ut pro-
pe miraculum videatur adolescentem opibus afflu-
tem in tanta opinionum vanitate, ac morum corru-
ptela,

ptela, tantisq. peccandi occasionibus, non modo integrum tueri fidem, verum etiam colere pietatis studia potuisse. Degebat plerunq. Londini in aedibus aui sui, Quæstoris reginae priuati. qui una cum coniuge eamde ac regina sequebatur heresim. apud hunc sacerdotes adducebat occultos, quorum opera auiam suam ab impia secta ad veram traduxit Ecclesiam. Publicas custodias, in quibus sacerdotes, aliquique catholici assertabantur, obibat: eosque quoad fieri poterat, et oratione leuabat, & re. quod tum multo fecit uberiorius, cum permagnam ex matris, & cuiusdam propinqui obitu hereditatem creuit. Aderat quotidie scris si liceret, nullo periculo territus, & ea modestia ac significatione pietatis, ut suo exemplo cum ceteris, tum Thomæ Hemofordio, de cuius martyrii palma proxime scripsimus, mire profuerit. Is enim despecta rerum humanarum imagine, una cum Gulielmo Romam venit, & absolutis in Anglico Collegio studijs, cum vitam inter nos agere non liceret, ad martyrii gloriam recurrit in patriam; ut merito nobilis illa palma Gulielmo accepta referenda quodammodo videatur. Agebat Gulielmus ipse alterum & vigesimum etatis annum, cum eius virginitati, quam perpetuo coluisse dicitur, insidiari visus est Daemon. arcta ei erat cum claro ac catholicō viro coniunctio, & suadere cœpit, ut solet, amor necessitudinem arctiorem, nouamq. per nuptias propinquitatem. Spondet ille Gulielmo sororem suam, si eam in matrimonium uelit ducere, & ut uelit, hortatur & urget. Contra amicitiam fieri

uidebatur , sponsam talem repudiare . nec abhor
rere se à nuptijs significauerat adolescentis, cuius ne
uoluntas quidem aliena tum fuit amabatur à Virgi
ne, & ipse Virginem adamabat , & familiaritate iā
contracta multe una consumebantur hore . ex qua
tamen familiaritate nihil, Deo protegente, in animū
adolescentis irrepit , quod eius officeret castitati.
Sed ne quis in terris hunc sibi florem ante prēripe
ret , imbecilla Deus misertus adolescentiae, ueteres
illi cogitationes ad memoriam redigit, & pristina il
la Societatis studia, quæ consopita uidebantur , ac
cendit. Itaque tanta fuit ardoris uis, ut abiecto nup
tiarum consilio , spretisq. non modo , quas posside
bat opibus ac fortunis , sed etiam spe certa paternæ
hæreditatis, adornarit repente fugam. Id puellæ ma
ter, fratresq. odorati, molestissime ferentes se de spe
deijci, Guilielmum aggrediuntur, & subiti reprehen
sione consilij, uiolataq. fidei, deducere de mente co
nuntur : circumfident mulieres lachrimis ac preci
bus, fratres minis atque terroribus, ut pro se quisq.
constantiam labefactent adolescentis . Vbi hæc non
procedunt, religionem obijciunt datæ fidei , nec iam
licere contendunt semel initum matrimonium &
verbis, & crebris argumentis amoris (clandestinum
enim matrimonium firmum et ratum apud Anglos
est) saluo officio ac religione dissoluere. Adduceba
tur in medium puella, quæ hæc ita se habere constan
tissime confirmabat . pugnabat ex altera parte Gu
ilielmus, nec fidem datam testabatur esse, nec verbū
ullum factum, vnde id argui posset adhibetur huius
contro-

et trouersus et disceptator et arbiter Thomas Pondus,
vir nobilitate, prudētia, et religione præstans, qui tū
pro catholica fide inclusus tenebatur in carcere. hoc
igitur arbitro cū res ageretur, nec minus pro Guliel-
mo causa staret, quam Gulielmus ipse pro se; Guliel-
mo quoque adiudicata lis est. uerum ita rem omnem
composuit atque constituit prudentissimus discepta-
tor, ut quo æquiores dimitteret aduersarios, dotis lo-
co puellæ summa quædam pecunia à Gulielmo da-
retur. sed quoniam pluris erat apud homines nobi-
les ipsem adolescentis, quam splendor auri; condi-
tionibus stare non poterant, & denuo arbitrum ag-
grediuntur. disceptatur iterum ad multas horas, &
acriter utrinq. pugnatur: sed quoniam deserire à cau-
sa uirginis fratres, parentesq. senserant, puellam ab-
ditam in cubiculum carceri proximum, ante mo-
nent, ut cum se causa cadere audiret, aperto repente
ostio profiliat, & quem iure, ac uerborum conten-
tione non posset, blanditijs precibüsq. deliniat. pro-
dit igitur ex constituto puella, non minus ab arte
compta, quam à natura; & cum rationis suauitate,
tum querelarum dulcedine, animum pertentat ado-
lescentis. orat omnibus precibus, ne se respuat, ne-
gat quicquam esse vel in suis natalibus, vel in natu-
ræ fortunæq. muneribus, quod despiciat; porrò fra-
ternæ det hoc amicitia, det suo quoque amori, vt
tam expetitam, & iam pene initam matrimonij so-
cietatem sanciat, habeatq. rationem cum persona,
tum dignitatis suæ, cui sempiternam dedecoris no-
tam, si ab eo repudietur, inurat. ita supplicatio que-

reliis, & verba lacrimis miscebantur, ut quod ab iniuto ius non posset, supplicationis humilitas extorqueret. Sed ille surdis ad hac auribus, de castitatis magis bono, quam de parta amicitia solicitus, tacitus nulliq. dicta salute ex ijs ædibus auolat. mox in Galliam se traiicit, nec ita multo post, cum Romam, quo Deus duceret, peruenisset; nondum exactio tironinij biennio, ipso virtutis studio ac contentione currendi, longæ ætatis cursum æquauit, & è carceribus vix emissus subito euolauit ad metam. Is cum esset in Anglia, & in hortis quibusdam inambulans, de novo vitæ genere semotus à ceteris cogitaret, visus dicitur sibi videre speciem quandam Saluatoris, quæ oculos in se desigeret, taciteq. videretur hortari, ut se ab humanis caducisque rebus auelleret: ipse vero conuersa in eam speciem facie, admirabilem hausisse animo voluptatem, & quandam vidisse lucem, qua valde excitaretur ad humana linquenda. Hoc ipsem et amicissimo patri, & cui maxime se credebat, aperuit: cuius etiam postea mores fuerunt eiusmodi, ut fidem visi faceret vel tacendo.

COLLEGIV M POENITENTIA- RIORUM, & Probationis domus.

INnumerabilia pene sunt, quæ in his locis, ubi expiandi animis opera datur, propter varia hominum genera, digna admiratione contingunt: sed quoniam plerunque, quæ sunt eiusmodi, silentio potius inuoluenda, quam cum alienæ famæ periculo videntur edenda, amputabimus more nostro complura,

ra, paucis modo contenti, quæ vel nostrorum sint factus industriae, vel salua hominum existimatione commemorentur. omnis autem animorum salus è confessionibus peccatorum. quæ cum innumerabiles ferme fuerunt, ut in tali loco necesse est; tum à primis annis maximam partem instituta. Repressa est huius sacramenti beneficio intolerabilis multorum venus, Mulieresq. amplius viginti cum se se fadis voluptibus addixissent, nunc caste pudiceq. se gerunt. Et quæ matrimonio iunctæ suorum corporum usurparant concessionerant alienis, intra præscriptum se se cohibet legitimi tori. Nec minus operæ in iuuandis illis, qui Ecclesiæ, quam qui coniugibus fidem fregerant, adhibitum est. Septem & viginti ex ijs, qui partim à veritate catholica ad hæresim declinarant, partim in his ipsis tenebris alti educatiq. erant, ab errore deducti sunt. nec pauci, qui à cœnobij disciplina flagitiosa desciuerant, aut ad eadem sunt remissi cœnobia, aut quod per Summi Pontificis potestatē licuit, ad laxiora. Sed cum multi ex hominum genere Deo, Ecclesiæq. catholicæ, tum ipsis quoq. hominibus ex inimicis amici redditis sunt. Iras sexdecim posuerunt. & quos ad expetendas fraterni sanguinis pœnas vis doloris impulerat, persuasum ijs est, ut iniuriam obliti, naturæ uinculum & coniunctionem agnoscerent.

DOMVS PROBATIONIS.

OMNIS Nouitorum cura, & vigilandi labor in domandis, ut solet, animis, extolendisq.

consumitur. Sunt omnes sipientes, integræ solidæq.
virtutis; & alter alterum quotidianis laceſſit exem
plis: ut Deo potius agendæ gratiæ, quam eorum præ
dicanda sit laus. Conuocauit Dominus in hanc Do
mum duos, & quinquaginta, in ijsq. nonnullos, non
minus genere, ac dignitate claros, quam virtutis
indole, donisq. naturæ. Accessit quidā legibus per
eruditus & prudēs, qui dum in Urbe perhonorifico
propositus muneri, suam nauat operam Curiæ, sen
sit melius collocatos fore labores suos, si eos ad
Christi famulatum, Societatemq. conuerteret. Ali
lius quoq. ad nos se contulit adolescens, multis prae
fidijs ingenij, fortunæque munitus, Marchionis fi
lius, & Mantuano Duci propinquus, ex vetustissi
ma Gonzagorum familia. Qui cum in Aula Philip
pi Regis, vna cum minore natu fratre, inter hono
rarios pueros versaretur; ibi ad virtutem vehemen
tius exarsit, ubi parta saepe virtus difficilius tene
tur. Iniecerat ei Deus tenuem quamdam Religio
sa vitæ mentem, quam ille inter illecebras Aulae,
affiduo pietatis vsu, sic aluit, ut quotidie magis con
firmaretur, & cresceret: auocabat enim se quoad
fieri poterat à rebus humanis, & furtim placando
Deo, & precationi se dabat; nec de eo vita curriculo,
quod ei ab initio propositum fuit, minimum un
quam deceſſit. Sed cum potestate Patria contine
retur, suumq. Sacerdoti nostro consilium, qui ei
erat à Confessionibus, indicasset; de eius sententia, id
quoq. cum Parente, Societati nostræ multa familia
ritate coniuncto, communicauit, simul & veniam
petit.

petit. Parens, primo grauiter visus est commoueri, & ad perspiciendum filij animum, varijs visus est testamentis: filius tamen in sententia mansit; & ut Patri admirabilis suæ constantiae, sic cæteris, prudètiae atque pietatis specimen dedit; præsertim Religiosis quibusdam viris, qui eius mentem explorandam, paterno iuſſu suscepereant. Postea cum in Italiā rediret Parens, auehendum ex Hispania filium existimauit. ubi multas filius ipse pugnas & bella sustinuit, cum ab omni hominum genere, tum à Principibus viris, qui eo maxime incumbebant, ut Adolescenti, si fieri posset, persuaderent, ne ab hominum consuetudine, se sciungeret: Vel si certum et fixum esset, vitam cum religione degere, Canobiorum asperitate postposita, sequeretur id vitæ genus, quod nulli disciplinæ addictum, in Ecclesia tamen munere versaretur: ad eamque rem honores in Ecclesia pollicebantur amplissimos. Quod si tandem ad certam aliquam disciplinam induceret animum, ad eam potius inclinaret, ubi cum religione splendor obtineretur, quam ubi obstruetus esset aditus ad honores. Adolescens, qui longe alium petebat cursum, quam, quem patrū suadebant amici, cum ad omnia cumulate respondit, tum ad hoc postremum cumulatissime negauitq. ullum sibi videri Ordinem, suis rationibus aptiorem, quam qui minime esset dispositus ad honores. Nam cum id spectaret in primis, ut à communī vitæ consuetudine se abduceret, omnisque hominum vita, diuitiarum splendore, & specie honorum maxime teneatur, in Societate I E-

SV, absolutæ Paupertatis ope, omnis amplitudo diuitiarum: præcipui vero sponsione Voti, omnis honoris gradus excluditur. Cæptum est à domesticis dein agi, ut patria bona minori natu fratri concederet; quibus is alacriter morem gessit, unam dolens in exsequendo consilio suo moram ac tarditatem. Nam cum paternorum bonorum cesso ex Imperatoris nutu penderet, quod fæudi nomine continetur; dum uoluntas, ut solet, expectatur Imperatoria, annus propè integer abiit. Ac ne tum quidem filio licuit sibi ipsi morem gerere, cum gessisset alijs. Parens enim, non tam patrio dultus amore, quam infirma Adolescentis ætate, rem maioris putabat esse consiliij, & patrias desiderari partes, si nec ætatis infirmitati consuleret, nec multo ante prospiceret; ne quid filius animo maius completeretur, quam ualetudinis imbecillitas ferre posset. Itaque nondum præteritis contentus experimentis, iterum eius, Mediolani constantiam per uarios homines tentat: & quanquam moras omnes decreuerat interponere, & Romam filium ad inchoata Philosophie studia persequenda prius mittere, quam ut ei faceret diligendi huius uitæ generis potestatem; tamen cum & precibus apud ipsum, & crebris litteris apud P. Nostrum Generalem, & quod caput est, multis apud Deum lacrimis, filius continenter urgenter; tandem se flexit, & diuino plane nutu, ad meliorem mentem voluntatemque conuersus, potestatem ei fecit, tam salutaris capiendi Consiliij. Ergo multo & honestissimo comitatu addito, una cum literis

teris ad P. Nostrum Generalem, filium in Vrbem
mittit, tanta ipsius filij latitia ac uoluptate, quanta
ex diuturni desiderij magnitudine existimari potest.
Qui Romam ut attigit, maximæ admirationi fuit
tum Summo ipsi Pontifici, à quo prius benedictionem
ac ueniam paterno iussu postulauit; tum Cardi-
nalibus, Aulicisq. compluribus, quod id etatis Ado-
lescens, atque ea conditione fortunæ, tanto studio di-
uicias honoresq. desereret, quanto uix ceteri, ea si-
tiunt & consequantur. Interim moritur Pater, in
quo Dei Immortalis prouidentiâ licuit oculis cer-
nere; tum enim mortuus est, cum prisci illius Abra-
hami more, filium Deo sibi carissimum, natuq. ma-
ximum, iam obtulerat: ut cui tam gratam victimam,
sua voluntate malasset, eius incundo sinu comple-
xuq. reciperetur. Filius vero ab ijs curis periculisq.
relictus est liber, quæ cum domesticæ priuatæq. fa-
milia, tum publicæ ditionis administrationi. comi-
taris solent.

COLLEGIVM GERMANICVM & Anglicanum.

Germanorum, Anglorumq. Collegia, quam re-
cto cursu, & ad patriæ præsidium, & ad om-
nen pietatis laudem contendant, superuacaneum
est, hoc quoque anno commemorare. Viget quam
cum maxime eorum & in litteris, & in virtute con-
tentio. quæ si antea domesticis vmbbris occul-
tata latebat, nunc diuino consilio patefacta per-
cos, quos Visitatorum nomine summus Pontifex
ad

ad hæc inspicienda Collegia misit, foris etiam elueret. Nam cum Societas, lecto in Urbe nouo Christi Vicario, & hac ipsa quæ administrat Collegia, multorum, qui priuatas spes agitabant, nec inuidiā, nec sermones effugere possent; subito extiterunt, qui nostrorum criminantes administrationem, Pontificis aures multis mendacij onerarent. quibus ut obstrueret ora prudentissimus Pontifex (places enim ijsdem vti verbis, quibus cum Patre nostro Generali colloquens vesus est ipse) consilium cepit, ut hæc ipsa Collegia per idoneos viros inspiceret, qui & in alumnorum, & rectorum mores diligenter inquirerent, & rationes sumptuarias annuosq. prouentus accurate cognoscerent. Dedit igitur negotium duobus Episcopis, optimis & grauissimis viris. qui cum omnes in exordio sui muneris, tum singulos, tum vniuersos blande & comiter essent assati, ceteraq. quæ vel ad mores rectorum, atque alumnorum, vel ad rē tam diuinā, quam familiarem pertinent, summa cura ac fide perspicere voluissent; non obscure postea nobis ipsi significarunt, quam vehementer omnia probassent. Delectauit quippe homines religione præstantes templi nitor, & sacrarum rerum exquisita munditia. delectauit singularis modestia iuuentutis, & in peregrinis corrupcisq. nationibus mirus amor & cura pietatis. ordo etiam disciplinæ eos mirifice cepit, concordia volūtatum, pax; & quod multi ad criminandum inuidiosè sumpererant, ipsa conficiendi tabulas ratio, tueratq. pecuniae. Nec vero aliter cum ceteris hominibus,

nibus, aut cum ipso Pontifice ea de re sunt loquuntur: eos enim ubique sparserunt tum de his Collegijs, tum de Societate sermones; ut emenda potius nobis fuisse videatur alienorum hominum criminatio, quam fugienda. Nec satis habuerunt amplissimis sermonibus esse testatos, quam integra apud nos, et quam apta reperissent omnia; sed ut aequitatis in primis amantes, commentarium etiam in libellos quosdam nuper editos, traditosq. Summo Pontifici, conscripserunt, ubi ea, quae aduersus Anglorum Collegium in ijs esset paginis malitiose conficta, singillatim prudenterq. refellunt. Tum demum intellectum est, quam aduersus eos nullae sint vires, qui latent in tutela diuinæ virtutis: custodit enim Dominus innocentia, nec ijs decessere potest, qui spes suas omnes in eius praesidijs collocatas habent. sed infinitum quiddam est, quod diuinæ bonitatis magnitudini debeamus, ut qui paternæ eius prouidentiae curam, manibus penitentia contingimus.

E Collegij Germanici disciplina addixit se Societas Sacerdos. Alius vero nobilis adolescens, cuius consilium mors anteuerit, in ipsa morte pro nostro est habitus, & in eundem gregem numerumq. conscriptus. Remissi sunt in patriam confecto Philosophia & Theologiae curriculo, Sacerdotes undecim, quorum virtus consimiles eorum pollicetur eventus, qui proximi remissi sunt annis. sunt enim illi (ut accepimus) subsidio prope occidenti Germaniae, non adiumentis modo doctrinæ, qua sunt instructissimi; sed integritate morum, & sanctimonia. Expetitur a principibus

pibus viris eorum opera, & ad regendas Ecclesias ab Episcopis adhibetur: nonnulli. ad Episcopatus honorem probitate atque industria comite peruerunt. Duo etiam suorum Episcoporum ac Principum nomine legationem ad Pontificem Maximum obierunt, ingenti cum ipsius Pontificis, tum Cardinalium, honestissimorumque virorum, quibus cum agendum fuit, approbatione. Ex hac eadem disciplina Curiensis Decanus prodijt, Gualtheus Bellius, qui parem virtutem cum doctrina, ac nobilitate coniunxerat. egerat hic Romæ inter alumnos huius Collegij ante sexennium, Rodulpho olim Aquae-niue, qui ex hoc ipso Collegio proxime in Indiam abiit, admodum carus. cuius præceptis imbutus, mirum non est, si is euasit, quem & vita insequens, & consequuta mors docuit. Is igitur in vrbe Curia, tum, cum ciuitatem omnem miserandum in modum pestilentiæ contagio labefecerat, sui ipsius oblitus, ut pro ouibus sibi creditis vitam poneret, in media pericula se se intulit: nec modo suis se bonis ac facultatibus spoliauit, ut multorum egestati inopiæq. suc curreret; sed contempta morte, partim animis oratione firmandis, partim sacramentorum pabulo recreandis, nullam partem boni probatiq. pastoris omisit, dum ad extremum è medijs erectum laboribus ad otia Paradisi, & sui magistri complexum diuina benignitas euocauit.

Ex Anglicano Collegio nouem in Angliam Sacerdotes magno animarum commodo reueterunt, quorum unum comprehensum ab hereticis, in carcere, remq.

remq. coniectum, accepimus graues acerbosq. cruciatus fortiter subiisse. Alius etiam in custodia traditus, quod de fidei constantia dimoueri non possit, ultimum discrimin adit. Quidam quoniam & à natura, & à doctrina præclare instructus est ad dicendum, magnum hæreticorum numerum ad suas partes adiunxit. Alij præterea huius alumni Collegij. Sacerdotes quinque; post diutinas tenebras & erumnas, ad extremum in expeditum compulsi nauigium, exili nomine auehuntur in Galliam, terrore mortis iniecto, ne quis in Angliam remearet. ex quibus tamen continere se quidam non potuit, quin redditum attentaret, incertum adhuc, quoniam euentu. comitem ei se se Deus adiungat, & feliciter verat omnia. Ad hæc pietatis argumenta accedunt vota studiaq. religiosæ vitæ, quibus pleriq. tenentur: ac præter eos, qui vitam nostram adamant, quinque se varijs cœnobij atque ordinibus addixerunt. Reliqui pro se quisque contendunt, ut probitate morū, exemplaque. vita declarent, nequaquam se à Deo frustra in hanc virtutis palestram ac disciplinam vocatos. colunt omnem pietatem, & officiosi maxime in hospites sunt. tenetur enim vel in summis rei familiaris angustijs antiquum recipiendorum hospitum institutum; exceptusq. nuper est Anglus nobilis, qui tuendæ religionis causā, fortunas reliquit amplissimas, ex quibus quotannis aureorum viginti millia capiebat: satis se diuitem ratus ac locupletem, si integrum Christi fidem ad extremum usque spiritum tueatur.

SEMINARIVM ROMANVM.

IN tanta cœli clementia, tantaq. corporum salutis
britate, quantam hic annus attulit; longis ta-
men, et si minime periculis morbis, huius iuuen-
tutis contubernium tentatum est. contagionis vis
quædam fuit, incertum unde concepta, quæ subito
in nonnullos irrepens, sensim perugata est vniuer-
sos: vix enim quemquam exemit. uno eodemq.
tempore octoginta nonnunquam cubabant ægri; sa-
tis ampla charitatis ac patientie materia. nam nec
ijs, quos in lectum morbus abiecerat, tolerantie;
nec ijs, quos nondum strauerat, charitatis exercita-
tio defuit. nullum obsequij genus absuit, nulla studij
munerisque vicissitudo. Nam quamquam has par-
tes subleuandi curandiq. agrös, nostri sibi suscep-
rant; voluit tamen egregia discipulorum pietas,
hanc sibi curam nobiscum esse communem. itaque
cursare ultro citroq. qui ualentes erat, lectos ægri-
rum sternere, præparatos afferre cibos, ac frequenti
scalarum ascensiū atque descensiū pro viribus leuare
iuentes; præsto deniq. vnicuiq. esse, ut cuiusq. ne-
cessitas exigebat. Ex altera parte, qui lecto tene-
bantur, ne ita meritis, ut officijs inferiores essent,
præclaræ ipsi quoque suæ virtutis documenta præ-
buerunt. patientiam testabatur hilaritas: pietatem
colloquutio, agitatioq. diuinis de rebus: obedientiam.
alacritas obsequendi. Obihant sacramenta de more,
nec languorem animis languor corporum afferebat.
Duarum circiter horarū intervallo, Sacerdos cum

Eucharistiae sacramento cubicula circuibat, nibil ut
negotij minus haberet, imbecilla ac iacente, quam in
columi stanteq. familia. Vnus hoc anno desideratus
est modo, cuius ut acrior vis morbi fuit, sic maiora
documenta virtutis. is leues saepe noxas expiabat in
die, et quod tenerae etatis miraculum est, nunquam
ex quo correptus est morbo, meminit propinquorum:
usque eo rerum humanarum memoriam recor-
datio vita cœlestis abstulerat. Sed ex ipsa ferendi
morbi ratione facilis coniectura fuit, quales tandem
se plerique præbeant, cum recte valent: in multis
enim ea significatio probitatis elucet, ut non mul-
tum ipsis, qui ad perfectam officij rationem excur-
runt, de uirtutis laude concedant. ex his octo, à no-
stris moderatoribus impetrarunt, ut eiusdem sibi
disciplina liceret esse comites ac consortes. Quorum
duo multa eius rei causa à domesticis pertulerunt,
sed tamen ita fortiter ac constanter, ut fidem fece-
rint, mentem illam non humanitus, sed diuinitus in-
ditam esse. nam cum subito Romam parentes, ac
propinquui ad labefactandum adolescentum propo-
situm aduolassent, studeretq. alterius pater, modo
minis, modo blanditijs, ab ea filium cogitatione reuo-
care; filius è patre se conspectu subduxit, in easque
tenebras abdidit, quo nullis unquam vestigijs per-
ueniret paterna suspicio. Qui dum filium aut in So-
cietatem se clam inclusisse, aut in Collegium ali-
quod ex his, qua disciplina nostræ sunt credita, suspi-
catur, una cum alterius adolescentis patruo ad sum-
mum Pontificem querelas defert, filios sibi à Socie-
tate

tate per vim eripi, recipi parentibus inconsultis, occultari per summam iniuriam, neque quicquam prius imbui, quam ut parentum obedientiam abijciant. His mendacijs cum Pontificem onerassent, Pontifex negocium dat Episcopis (quibus eisdem inspiciendi curam, & hoc, & ea, quæ dixi, Collegia mandauerat) ut rem omnem accurate cognoscant, uideantque, ut adolescentum propinquis ac parentibus fiat satis. Adolescens interim, qui latebat, ubi hæc agi perspexit, una cum patrucole Episcopos conuenit, obligat suam uterque fidem, se parenti, patruoq. suo morem esse gesturum, ubi tamen saluo officio, ac religione mos geri posset. Sed quoniam Episcopi, parentum miseratione commoti, ut in patriam se reduci paterentur, urgebant; quo siebat, ut in longum tempus eorum consilia differrentur; ad Cardinalem quendam, cuius pietatem par prudentia comimedit, pari consensione confugiunt, ab eoq. suorum iniurias, & artes questi, quibus à diuino se famulatu reuocare conabantur, summe contendunt, ut causam suam apud Pontificem Max. ipse suscipiat. Cardinalis, ut est cum in omne hominum genus, tum in bonos præcipue viros officiosus, adolescentes miro amore complexus, eorum se causam perdiligerter acturum recepit: simul & ad constantiam inflammat. Fecit quod promiserat. & apud Pontificem adolescentum causam sic egit, ut suam. Negauit Pontifex sui utrumquam fuisse consilij, ut tam præ clara fors iucundum, quos ad se Deus ex hominibus senocaret, coacto in patriam reditu, uocaretur in du-

biuum

bium; videri sibi tamen aequissimum, ut parentibus ac propinquis, quo ad eius fieri posset, mos geretur. Gestū est, vt eius ferebat voluntas, & vt id fieret accuratius, ad eam rem Cardinalis se quoque humanitas interposuit; quos vbi aequos placatosq. dimisit, tum demum potestatem fecit adolescentibus abeundi quō vellent, & sacrosanctis Eucharistiae munitos præsidij ad id pugnæ genus instruxit, quod quo ceteris periculosius est, eo plus requirit armorum. Atque hæc est Romani Seminarij hoc anno secunditas, quam perpetuam quotannis uelit Deus. Sed inito iam à nostris huius curæ deponenda consilio, ferenda erit iactura potius aliqua frugis anniuer sariæ, quam minoris commodi gratia, maiora comoda amittenda. fecit enim permolesta, & aliena nostro ordini procuratio, vt animum P. N. Generalis induceret, eo se onere liberare. Cumq. id semel, iterum, ac tertio à Summis Pontificibus contendisset, tandem multis perspicuisq. rationibus à Sixto extorsit, vt nos hoc ipso onere curaq. leuaret. Sed per occasionem migrationis angustiores in ædes (conductæ enim, non propriæ ac stabiles adhuc hentur) visum est potius sensim numerum imminuere, quam omnem subito procreationem abiijcere. Itaque compluribus ex hoc contubernio dimissis adolescentibus, vix tantum è Conuictoribus quadraginta supersunt. Grauiter id tulere permulti, præsertim qui in hanc disciplinam suos liberos propinquosq. tradiderant: nec defuere magna auctoritatis viri, qui se se interponerent, ne qua fieret diminutio. Ad

nos autem id commodi redijt, quod quo magis hac contubernij disciplina contrahitur, in angustumq. deducitur, eo pauciores ad eam regendam requiri rendæ sunt operæ. nam cum antea quinque & triginta de nostris exigeret, non minimo eorum tum ualetudinis, tum studiorum incommodo, propter varias molestasq. curas; nunc sublatis ex eo numero tredecim, duo tantum remanent & viginti.

COLLEGIV M MARONITARVM.

AD reliqua Vrbis Seminaria, quæ Societati sunt credita, accessit hoc anno Maronitarū: cuius instituti ratio postulat, ut tota res à capite quam breuissime repetatur. Nostros autem ante quinquennium à Gregorio XIII. ad Maronitas eo consilio missos, ut ab erroribus, quibus implicati erant, ad integritatem christiane religionis abducerent; ex eius anni litteris satis arbitror esse perspetuum. quo tempore dum in omnem eius Ecclesiae subleuādæ occasionem excubant, venit in mentem, ad sanandam affectam illam christiane reipublicæ partem, continendosq. Maronitas in fide & potestate Romani Pontificis, nihil aptius fore, quam si ex ea quoque natione conflaretur in Urbe Collegiū, ubi salutaria Ecclesia illi præsidia gignerentur. quæ res à Cardinali Carafa Maroniticæ gentis patrono, diu multumq. agitata, digna denique visa est, quæ ad Pontificem Maximū deferretur. nec difficile fuit

reco

rem tam salutarem eximia pietate Pontifici persuadere. Suadebant enim orientis partes illæ, quæ multis iam seculis doctrinarum luce p. iuatae, cum vnde peterent ea, quæ ad cognitionem fidei pertinent, non haberent; non facile sese in sua religione integras cæstasq. seruabant. suadebat hominum ipsa conditio, cū ad repudiandos errores minime pertinax, tum ad recipiendam retinendamq. veritatem facilis; vt genus quoddam impietatis videri posset, si qui communis nationum omnium parens haberetur & esset, is homines non sua voluntate, sed mala disciplina corruptos sine medicina desereret. Accedebat quod cum in ijs, quæ dixi locis, præcipueq. Syria, Palestina, totaq. Aegypto populi illi ferme sint vel hæresibus depravati, vel ab Ecclesiæ communione sciuncti, habeantq. res omnes sacras Arabico, Chaldaeve sermone conscriptas; è Romana re videbatur, sedisq. Apostolica dignitate, vt quæ catholico-rum omnium parens est ac magistra, ea, pari fide atque obsequio præditos homines prope haberet, qui Philosophiæ ac Theologiæ studia cum Chaldais litteris Arabicisq. coniungerent; vt essent qui tradendis castissimæ religionis institutis, refellendisq. prauis hæreticorum erroribus, populos illos ad veritatis catholicæ cognitionem, & obedientiæ cancellos reuocarent. Quæcum Pontifici Maximo Cardinalis exposuisset, facile impulit pius Patrem sua sponte incensum, vt idoneis ex ea natione adolescentibus euocatis, excitaret nouum in Vrbe Collegium. Excitatum est igitur

anno superiore, attributaq. à liberali parente non modo annua, se superstite, pecuniarum subsidia, sed etiam area spatiū ad edificium. Cooptati sunt leuisissimi adolescentes, varijs temporibus Romam à nostris missi, qui inter Maronitas agebant: cuius disciplina regendæ causa cum de Societate aliquos Cardinalis à Pontifice Maximo postulaſſet, Pontifexq. nostræ non ignarus paucitatis abnuiffet; Societas ne amicissimo & optime de se merito Præſuli, tali præsertim in re deeſſet; et si non omnem sibi Provinciam fufciendiā, non tamen omnem Maronitarum curam abiiciendam existimauit. Delectis igitur ad eam regendam iuuentutem probatis hominibus ex externis, vniuersæ administrationi supremum quendam quasi moderatorē è nostris præſesse voluit, cuius consilio Rectores ipſi ſe regerent. Sed cū optimi adolescentes alios nullos præter nostros, iam tum in patria experti eſſent, grauate aliorum parebant imperio. ergo vna omnium conſenſione à Cardinali Patrono contendunt, vt procuratione ſue patres de Societate præficiat, qui nec domo abſint, & ſibi proxime præſeffe velint. Id cum Cardinalis vrgeret, non potuit à nostris, ac ne decuit quidem, tanto Præſuli repugnari. confeſſus eſt illi Rector vna cum fratre: atque hoc demum anno eius Collegij procuratio à Societate fufcepta. Instituuntur in eo adolescentes omnino septemdecim, cum iuſque ſacerdos, qui chaldaico apud eos ſacrificat idiorum. facilis horum eſt educatio, nulloque negotio ad pietatem incendatur, elucet in ijs modeſtia morum.

G

& singularis animi moderatio. ingenio sunt ad disciplinam apto; ut qui biennij non amplius spatio, & Italicam perdidicere linguam, et rudimenta Latinae; cum tamen de Chaldeæ studio nihil opera detrahant. Quare & Episcopi illi, quos diximus, cum hoc quoque Collegium inspicerent, & huius iuuentutis ingenia pericitari vellent, prolatis Apostolorum artis Græce conscriptis, adolescentem ex his quendam excitarunt, & quibuscumque nosset linguis, ea iusserunt efferre, quæ à beato Luca Græce sunt scripta. paruit adolescens, & quinque linguis, tot enim nouerat, Græcum scriptorem interpretatus est: idque tā scite, ut alter admiratus Episcopus, cū publice postea cohortationem haberet; agnoscendum dixerit Dei munus, à quo tot linguarum ornamenti, unde tot regionum salus utilitasque penderet, locupletati essent. simul & illud addidit, inter ceteras Gregorij III. laudes hanc vnam fuisse de præstantibus, quod tanto Ecclesiæ beneficio, Maronitarum in Urbe Collegium constituisset. Sed quam eos benignus parés soueret viuus, & quanta in hos adolescentes eius fuerit indulgentia, quotidiana benignitas indicauit: nam & librorum copiam, & ad sacrorum vius domesticamq. supellestilem multa est elargitus, & anno vix elapso à constituto Collegio, septem circiter aureorum millibus nouas ædes extruxit. Quare quam luctuosa eius postea mors fuerit, cuius vita & huius nascentis Collegij, & rei Maroniticæ summa nitebatur; non est difficile existimare. verum quanquam inter hac primordia rebe-

menter eius inopinata mors terruit; solatio tamen fuit præpropera noui Pastoris creatio, qui se iam nō minus Gregorio ipso propitium ac beneolum præbet. Is sui Pontificatus initio, ne tantæ pietatis opus inchoatum institutumq. deserereret, Abbatiam ei quandam, vnde aurei fere mille quotannis capiuntur, Cardinale postulante concessit. ac preter eas pecunias, quas in quotidianū alumnorum victum culsumq. numerari iussit; mandauit etiam, vt contra-ctum æs alienum, cuius summa ad aureos plus mille peruererat, solueretur. Quare si his principijs reliqua consentiant, id quod tam benigno Pontifice polliceri nobis possumus & debemus; nihil est cauſæ, cur quisquam dubitet, quin ex huius institutio-ne Collegij, plurimum in omnem Ecclesiæ partem vtilitatis ac commodi deriuetur.

SENENSE ET RELIQUA

Hetruriæ Collegia.

SENIS, vt summam officiorum omnium verbo concludam, nullo loco partes nostræ desideratae sunt. Impigre sua quisque munera obiit. Nomen in Societatem dedit unus.

E FLORENTINO vero Collegio quanta vis vtilitatis extiterit, plurima animorum commutatio declarauit. Feminae amplius viginti sola spectantes æterna, varia cœnobiorum instituta sequitæ sunt. erant in his quædam, quæ pudicitiam suam una cum fama perdiderant, aliæq. nonnullæ, quarum pudor in upertissimum periculum vocabatur. Sed has Nostris

in

in suam fidem curamq. suscep tas, omni studio ac contentione publicae hominum misericordiae commendarunt, tantumq. eis repertum est argenti, ut facile postea inter Deo consecratas mulieres locum inuenierint. Sed cum sedulo semper animorum causa defensa est, tum in hominum morte præcipue; curatumq. ut suis animi soluti corporibus quam tutissimum iter arriperent: quo in officij genere, haud scio an plus ex euntibus adiumenti, quam in statione manentibus sit allatum. Aderat viro nobili ac prædiuitati suprema dies, cum sacerdotis nostri in confirmando sedulitatem vxor obseruans, erga pietatem sic est animata, ut que nostro nunquam comparebat in templo, ab eo nunc diuelli non possit. Senserunt hæc ipsa nostrorum officia iij quoque, quos legum æquitas mittebat ad mortem; quorum quidam cum diuinorum rerum mentionem pertinaci mente respuerent, mallentq. cum Sathanæ senipiternis exuri suppliçjs, quam perpetuis cum Christo voluptatibus perfrui; tandem pia nostrorum contentione fracti, tanquam placidissimæ oves duci se ad eam victimā passi sunt. Nec vero ciuibus modo, sed etiā exteris aduenisq. consultum est. quorum aliqui cum multos iam annos nefarias hæreses, tres autem impia Mahometi dogmata coluissent; hi ad cognitionem veri Dei, illi ad restæ religionis cultum traducti sunt.

PERVSII cum ad omne commodum animorū, tum maxime ad auertenda mutua hominū odia nostrorum laborauit industria. Hero inuisus agricola, scopo eum de medio tollere cogitabat, sed glande cōtorta, pro hero famulum, iñtu aberrante, perfodit.

Quam ille ignominiae notam cum luendam nisi san-
guine non putaret, in ædemq. nostram aliquando sa-
crificij tempore se contulisset; quidam è nostris, qui
iam pacis auctor esse cæperat, preclaram naëtus oc-
casione, supplex hominem orat, vt per salutarem
illam hostiam, quam adorandam populo sacerdos
ostenderet (tunc enim forte de more tollebatur) &
per eum Deum, qui tam multa eius scelera patere-
tur inulta; vt ipse quoque conserui iniuriam domino
tam acerba pro se perpeñso concederet. Tantum va-
luit cohortationis tempestiuæ curatio, vt oboris re-
pente lacrimis spoponderit herus, se in gratiam cure
agricola redditurum. nec vana fuere promissa: non
enim modo redijt, sed triduo post, cum intelligeret
ad æquissimam compositionem pacis exigi ab agri-
cola, ut vulnerati famuli, quem sclopo traiecerat,
medicina sumptus & damna præstaret; is quod satis
eſſet argenti, clam attulit Patri, addiditq. nihil non
Dei causa ſibi eſſe ſuscipiendum, cum diuinæ erga ſe
clementiæ veniebat in mentem. Familiæ item dua,
& quidem de præcipuis, cum ſexdecim annos inte-
ſtinis arderent odijs, noſtrorum hortatu ſe inter ſe
placarunt, eorumq. arbitrio, vt odiorum caſas
exciderent, ſua omnia permiferunt. Nec minus
contra cupiditatū eſtum, quam contra irarum
incendia pugnatū eſt. mulieres perdiſi pudoris
quatuor ad pudicitiæ ac ſanctimonie decus emer-
ſerunt, quarum due cum pulchritudine ac for-
ma præſtarent, Diaboliq. ministræ ac satellites
eſſent ad capiendas perdendasq. animas; earum alte-

ra non modo funditus fædas illas voluptates abiecit, quamquam ex ijs plurima capiebat emolumensa; verum etiam vt animi pulchritudinem tot flagitorum tenebris obscuratam elueret, & per penitentiam in antiquum splendorem nitoremq. reduceret; intr. i cœnobij claustra se abdidit. Societatis meditationes, & quoque ad immutandos mores maxi-
mi fuere momenti. prodierunt ex earum exercitatione non pauci, sui omnino dissimiles; vt qui toti an-
sea in corpore atque in his insimis terra bonis ha-
rebant, nunc eo eretti, præsidio, omnia infima atque
humana premant, & supera dumtaxat ac cœlestia
meditentur. Ex ijs aliqui se se inclusere cœnobij:
aliij commutato ritæ genere ad communem animo-
rum salutem sua studia contulerunt. Quanquam ad
id præcipuas vires habet vtraque sodalitas Dei Ma-
tris: ex quibus nouem circiter adolescentes ad cœ-
nobium fecere gradum, in ijsque ad Societatem par.

LAVRETANVM ET RELIQUA Collegia.

SI quæ Societatis nostræ sunt propria atque in-
teriora, ea tantum mandari litteris debeant, ut
certe debent; hoc vniuersitate Lauretani Collegij pa-
tribus dici potest, non modo sua quemque sanctitati,
studio omni curaq. vacare, sed in sanandis etiam ani-
mis externorum, artus omnes neruosq. contendere.
Ac prater id quod audiendis dimittendisque pecca-
tis tribuicur otij, data est etiam opera, editis ad eam
rem

rem spectaculis, Catechesi. Fuit id cum decori atque ornamento Gymnasio, tum ignaris diuinæ legis hominibus salutare. Eadem Catechisimi cura adhibita est in obeundis de more pagis: ubi & frugifera animorum expiationes institutæ sunt, & acres iræ contentionesq. sedatae. Habet autem hoc Collegium & ex ILLYRICO adiumenta nonnulla. nam cum ex nostris, Canonicisque sit nemo, qui norit Illyrice; ne huic vni nationi, quæ hanc quoque frequentat ædem, Sacerdotum opera desit; Sacerdos ex his aliquis aduocatur, qui pœnitentiibus præsto sit. Atque hic ipse matura iam atate vir ad audiendos suæ nationis ægros in vicina loca dimittitur: quo in munere ita versatur, ut non minus suæ ipse virtuti, quam alienæ saluti commodisq. prospiciat.

RECINETI satis magnus è duabus Dei matris sodalitatibus fructus capitur: Constat ea, quæ natu minoribus continetur, sodalibus quadraginta: quæ grandioribus, septuaginta, aut non multo secus. Sunt in hac de præcipuis viris multi, eorumq. pietate atque exemplo effectum est, ut iam ad sacras epulas coniuæ frequentiores appareant. horum officij ratio est, ut non tam sanctitati domesticae, quam proximorum commodis seruant, stipem corrogent in egenos, nulla habita dignitatis personæq. ratione; idque vel ad templorum valvas, vel medijs in foris, vel etiam ostiatim: quicquid autem pecuniarum escarumue collegerint, id vel ad ægros deferant, vel ad eos, qui precario viuere salua existimatione

tione non possunt. Quibus pietatis officijs non modo ad cœnobij disciplinam, sed ad omnem virtutis laudem planum sibi iter aperiunt. Neophytus ex his quidam pugnis ab inimico calcibusq. male multatus, cum per facile vlcisci posset iniuriam (erat enim forte cum telo) ex æquans tiro ueterani uirtutem, ad eum qui de nostris sodalitati præst, accurrit; stratusq. ad pedes, Fuit, inquit, Pater uehemens animus ulciscendi, sed ut iracundiam continerem, una Dei. Matris caritas fecit: huic ego iniuriam dono: prolatoq. telo, Exuo, inquit, apud te ferrum: hoc tibi sit conciliatæ gratiæ signum, hoc contemptus ultionis indicium. Quid expectandum erit à ueterano, si sui similis neophytus semper sit?

In infinitis locis aliquid etiam otij operæq. consumptum est. Tres in uaria loca missi sunt sacerdotes, præcipueq. propinquum in oppidum, cui à Monte sancto nomen est. hic autem præter quotidianas in quadragesima conciones, Christianæ fidei præceptis imbuta plebs est, promotæq. res futuri Collegij, & primus iactus de more lapis, non sine ciuium humanitate præcipua: qui cibum sibi quodammodo ex ore subducunt, ut habeant quod in Collegij opus impendant. nam quod primarij opidi magistratibus in epulum præbebatur, id placuit ad firmandum Collegij statum fabricamq. transferre. Ad Samnites quoque, & Abbatiam quandam sancti Euthity non procul ab Urbe Nursia profecti sunt alijs: quo in loco, quoniam sacramentorum, ac concionum causa magnus est

est pagorum concursus, praclare posita est opera collētiq. cum ex omni nominum genere; tum ex sodalitio quodam in honorem sanctissimi Christi corporis instituto, fructus r̄beres ac iucundi: ducentis enim cum constet sodalibus, nemo non ex eis uitæ maculas vniuersæ sacramento confessionis abstersit.

M A C E R A T A E conciliati placatiq. sunt non pauci, quos ad inimicorum vltionem irarum acerbitas stimulabat; sed cum saepe homines in hominum gratiam restituti sunt, tum Deo reconciliati persæpe. quo in genere, vt cætera sileantur, nobilis celebrisq. grassator, quatuor & viginti natus annos, cum à prima adolescentia extorris profugisset à patria, latronumque ritu vitam ducere instituisset; frequenti maleficio toto iam Piceno nobilitatus, Sathanæ cognomen inuenit. Is postea comprehesus & coniectus in carcerem, adiudicatus est neci. Mis̄sus ad eum est de more sacerdos, cuius congressu colloquioq. sensim ex recordatione præteriti temporis sic angi capit, nullum vt hæc Ciuitas illustrius exemplum viderit penitentia. Antequam ad supplicium raperetur, patefactis confessione peccatis, tum quotidiane ritæ saepe, tum semel vniuersæ, mente in diuinam misericordiam, quæ tantam sibi spem salutis offerret, ita defixerat, vt alio duci cogitatione non posset. Erat tormentis pene confectus ac debilitatus, luxatiq. erant ductario fune lacerti, vt mos est in quaſtione; & tamen numquam adduci potuit, vt vel de genu, quod semel incubuerat in precatione, conſurgeret; vel quod facere sine luxatorum ossium cruci-

eruiciatu non poterat, alterius intersurgendum admissiculo niteretur: testatus velle se, quem tot annos tot sceleribus violasset, eum saltē breui illa, quæ concedebatur v̄sura lucis, si id modo consequi posset, placatum sibi propitiumq. reddere. Ciues qui eius confirmandi gratia venerant, magnitudinem animi & p̄nitentie vim admirati, Quanto iam aptius in hunc (inquiunt) Angeli cognomen conuenit, quam antea sathanæ? Ad mortem cum tradetur, intentis in Christi signum oculis continenter, nullum faciebat finem sua ipsius accusandi peccata. Vbi vero proprius ad carnificinam accessit, sensitq. patrem sua causa sollicitum esse, ne repentina furca conspectu perterreficeret; Cauet, inquit, pater existimes, eum, qui carnificinas omnes commiseruit, hac vna furca exanimari. osculoq. restem, qua suspensus erat, excepit; quod diceret, se non dubitare, quin ea sibi aditum aperiret in celum, quem peccatorum fæditas præclusisset. Scandit igitur gradus illos mortis, nullo perturbati animi motu prodito, nulla formidine exanimatus: factaque potestate cum populo colloquendi, dixit se non recusare, quo minus aequo libentiq. animo moreretur; vnum tamense moleste ferre, quod non plures vitas haberet, quas vt aequitas postulabat, pro magnitudine ac multitudine peccatorum effunderet vniuersas. Quæcum dixisset, Iesu nomen ingeminans, supplicium legibus soluit.

MISSIO RAGVSANA.

Ragusam quatuor annis ante profecti sunt nostris eius profectionis auctor Ragusanus Archiepiscopus fuit, qui id à Pontifice Maximo, interposita Cardinalis Comensis auctoritate, impetravit. Quatuor hic fuere de nostris, sex etiam interdum, singulari studio Ciuitatis excepti. Aedes ac templū pia quādam B.Rochi Sodalitas commodauit, quæ C. aureos septingentos, ut instructas aedes habere possent, impendit. vittitarunt nostri hominum misericordia ac liberalitate, quæ quoniam ingens est, non modo nihil eis unquam ad tuendam vitam defuit, sed saepe etiam superauit gratus quippe eorum aduentus tam priuatis ciuibus, quam magistratibus accidit. concurrebant vnde munera ad fores nostras, ut uno eodemq. die, decem, pluresue aliquando pueri cum muneribus comparerent. Nostri autem si quando stipis gratia priuatorum aedes obirent, quod non tam egestatis, quam vel exempli, vel instituti tenendi causa faciebant; semper pleni ac referti redibant. sed hunc ipsum querendi laborem minuebat charitas Ciuium, non modo mittendis, ut diximus, crebro subsidij, sed orando retandoq. ne quid in eo nostri cura molestiæq. susciperent. Cuius benignitas tulere primas Principes Ciuitatis, qui non modo Concionatorum nostrorum aduentū, mansionemq. sed quantum in ipsis fuit, ipsum quoque instruxerunt ornaruntq. discessum: ac præter viaticum maritimamq. subsidia, quæ larga & copiosa fuerunt,

pecu

pecunia quoque satis multa miserunt, quae non modo
concionum, sed ne eleemosynae quidem nomine accep-
ta est. Reliquis vero religiosorum familijs, Bene-
dictina præsertim valde grata Societas fuit: idquod
haec suis declarauit officijs. que quidem ab urbe passus
circiter mille cum absit, semel atque iterum nostros
per astatem (nam per calores, qui hic sunt molestissimi, in Urbe viuere minus licet) diuturno ac libe-
rali accepit hospitio. De Archiepiscopi uero beni-
gnitate nihil attinet dicere, cui non modo curæ fuit,
vt nostris omnia ad usum & cultum copiose suppe-
terent, sed etiam de constituendo Societatis Collegio
cum summo Pontifice vehementer egit: quod qui-
dem vehementer incumbere mens Pontificis visa
est: nec defuisset consilio ac voluntati si vita suppe-
ditasset. Iam laborum fructus, animorum fuit cre-
bra conuersio. explanata sunt conscientia questio-
nes, partim ad clerum in aede maxima, partim apud
minores natu clericos domi nostræ. Nec vero Cate-
chismi prætermissa consuetudo est, qui quotidie vel
nostris in aedibus, vel proximo in templo puerili tra-
debatur atati. Ac præter conciones diebus domi-
nicis, ducebatur puerorum agmen ad templum, fidei
rudimenta canentium, ibique plurima eius rei adhi-
bebatur exercitatio. nec aberat præriorum inuita-
menta & diligentia par bonos. que res, ut Civitatis
oculis noua, ita exemplo fuit ac voluptati. Sed cum
omni hominum generi, tum ijs maxime, qui à
mortis periculo non procul aberant, subuentum
pro viribus est. Ex nobilibus cum quis dece-
ret,

ret, curabant domestici, ut è patria consuetudine sermo funebris haberetur: quod à nostris non sine populi utilitate frequenter est factum. Reus etiam quidam cum inter manus imperiti carnificis astuaret, tædij ac doloris impatiens, proprius factum est nihil, quam ut carnificem ipsum dentibus apprehensem, ipso cubitorum nisu de gradibus turbaret: que audacia cum iram satellitum irritasset, obuersis iam sclopis misere eum, nisi sacerdos se noster interponeret, confecisset. Sed pater impetrata supplicij mora, dum ad ferendam placide mortem induceret reum, facile ab eo impetravit, ut renouate peccatorum confessione, quod publicæ equitatè iustitiaq. deberet, non grauate perfolueret: id quod ille spe suæ salutis non exigua pacatissime fecit.

Catari per idem tempus habita sunt una atque altera quadragesima conciones: est enim Cunitatis Episcopus Societatis in primis amans, nec denegari eius postulationi potuit. Tridui autem abest hec Vrbs, Ragusias & Vcenotorum ditioni subiicitur. hic illi, milites in præsidij habent ad quadringétos, quorum plerique ante nostrorū aduentum, multos iam annos paenitentiæ sacramento caruerant. quo circa cum illuc par sacerdotum se contulit, publicis priuatisq. colloquijs tantam uterque perfecit, ut ad sacram confessionem, ducto sepe à primis annis initio milites sere omnes induxerit, tanto cum ipsorum bono, ut & plurimæ inueteratæq. inter eos iræ deceferint, & proiectæ multorum libidini frænum, exaltis repente mulierculis, sit intectum.

PROVINCIA NEAPOLITANA.



VERVNT Neapolitana Provinciae de nostris ducenti circiter & octoginta septem. In Professorum Domo sex & sexaginta. In Neapolitano Collegio centum & sexdecim. In Nolano duo de quadraginta. In Catacensi viginti. Par numerus in Aletino. In Barensi unus et viginti. Sex adhuc in Cininolano. Elati sunt quinque. aggregati quatuor & viginti.

DOMVS PROFESSA ET COL- legium Neapolitanum.

IN Professorum Neapolitana Domo, ut minora sileamus, institutus est piorum hominum catus, quibus festo quoque die secundum breuem cohortationem à nostris habitam, quedam proponuntur ad meditandum capita, ubi ad horæ ferme quadrantes, clauso ceteris curis aditu, committantur. Sed ut ad domesticos fidei, nostrorum vigiliae potissimum referuntur, ita etiam cum eiusmodi tempus incidit, peregrinis & alienis à religione consulitur. Turca

D natus

natus annos vnde viginti, cum adhuc inter suos Christianus esse percuperet, vehereturq. cum piratis ceteris myoparone; clam in christianorum terram descendit: à quibus captus cum suum de christiana religione cōsilium exposuisset, deductus ad nostros est, & institutus ad fontem, in ædeq. nostra mox baptizatus. Plus lucri è quatuor Anglicanis nauibus factum est: quæ cum ad portum Neapolitanum appulissent, plurimosq. aducherent hæresi vètores infectos; ex ijs octoginta, præcepta veritatis edocti, fidem catholicam coram Archiepiscopo sunt professi. Atque hæc ex animis lucra præcipua. Ceterum Temploopus proximo anno inchoatum vrgetur strenue, auctumq. templum ipsum est, cum ceteris ornamentis, tum tabernaculo Eucharistie adseruandæ pereleganti, aurorum pretio bis mille. Continentes etiam ædes, quoniam ad cogitationes nostras plurimum faciebant, scutatorum quinque millibus emptæ. Quæ iccirco libenter commoramus, vt Societas intelligat vniuersa, quantum huic ciuitati Domus hæc debeat, cuius in tot sumptus liberalitatè experta est. Ac si quis summā totius benignitatis curiosius ineat, duodecim aureorū millia, anno non plus spatio tributa reperiatur. Optandum à Deo est, vt quos ritæ commodis auget, eoru quoq. in animorum procuratione vigilias acuat: vt à nobis & ipsi bonorum omnium auctori, & reliquis beneficiis gratia si non par, certe aliqua referatur.

IN NEAPOLITANO Collegio ad Superiores duos philosophiae magistros accessit hoc anno tertius

tertius, ut iam quotannis ab eius disciplinæ primor-
dijs inchoari curriculum possit. Gymnasium por-
ro vniuersum bono auditorum numero celebratur.
Et quāquam de litterarum studijs nihil otij curaç:
detrahitur, seruitur tamen quoad eius fieri potest,
præsenti animarum saluti. Adolescens quo maio-
rem suarum cupiditatum licentiam obtineret, à pa-
rentibus patriaq. profugit. post autem aliquanto,
cum artificio nullo sustentare vitam posset, pude-
retq. in suorum redire conspectum, ad summam mi-
seriam famemq. redigitur. Desperato iam & incer-
to quid ageret, per pulcher visus est iuuenis, qui se
eius custodem Angelum à Deo missum diceret, ut
ex tot egressus arumnis libere euolaret in cælum.
iussit hominem expiatis proxima in Urbe peccatis,
ad maris littus accedere, et in aquas se præcipitem
agere: sic fore, ut eius animus illico exceptus ab
Angelis transferretur in cælum; retuitq. id ulli ho-
minum indicare, ne ei quidem quem ad expiandum
animum adhibere solitus esset: qua etiam de re vo-
luit fuso sanguine proprie sibi ac diligenter caueri.
Adolescens cum paruisset, Neapolim venit, & Sa-
cerdotem, cui confiteretur requirens, est deductus
ad nostros. Inter confitendum cum perturbati animi
signa daret, ratus id quod erat Sacerdos, latere ali-
quid in pectore, quod erubesceret confiteri; agre tā-
dē ab eo totius rei confessionē expressit: persuadere
tamen non poterat, Dæmonē fuisse non Angelū, quē
confexisset: tamen, cum de sententia patris se con-
tulisset ad preces, illuxit de cælo veritas, fraudemq:

sensit, ut deploratis iterum confusione peccatis vi-
te omnis antecedentis, gratias egit diuinæ clemen-
tie, quod eode nō te npore geninum effugisset inter-
ritum, animi simul & corporis. Iam sodalites flo-
rent nunc cum maxime. Quidam indecim ē maiore sodali-
tis, libertatis contempta dulcedi re, variis se cœno-
biorum custodijs incluserunt. Ceteri vero sodales,
nequaquam sua modo salute cōtentii, ad alienā quo-
que procurandam querendaq. se instituunt. Tollunt
publica de Ciuitate flagitia: principia Christianæ le-
gis multitudini tradunt: succurrunt miserorum ino-
piæ, virginum solitudini, vincitorum & captiuorum
angustijs. Ac vincitorum quidem causa Montem,
quem vocant, Pietatis; ad collocandas autem
filias vestigal annum instituerunt: quæ quidem
officia ita sedulo curant, ut suo exemplo cum in alijs
oppidis, tū in hac ipsa Urbe complura alia excitaue-
rint sodalitia. Christianæ doctrina institutum reti-
netur egregiè, duodecimq. de nostris, festis diebus in
ea occupatione versantur. crevit eo usque auditio-
rum frequentia, ut conuentus causa ex ædium angu-
stis, quo conuenire multitudo solita est, in templum
faerit emigrandum. frequentia vero numerum, ipse
prope fructus ex aquat. pascuntur octauo quoque
die cœlesti pane Sexcenti. multi ad Societatem, mul-
ti item ad ceteras familias transeunt. animos porro
domant, sibique imperant in iniurijs, nec aliter in-
terdum suum dolorem puniunt, nisi iniurijs ipsis be-
nificio remunerandis. Atque ut quam plurimos
sue pietatis imitatores habeant, complures ad catē
chismure

chismum alliciunt; aleæ lusus, & scelerum alimenta remouent. Quidam, quotquot erant in sua vicinia ex hoc genere lusus oīnes ad unum susculit. aliis sive item vicinitatis mercatores omnes in ædem nostram ad sacramenta perduxit. Alij cum id perse ipsi non audent, nostros adhibent, eaque ratione multis medentur incommodis. Illudebatur quidam an num iam septimum illecebris flagitosæ femina, Daemonisq. præstigij: bis quotannis iubebatur ab ea ad certum locum proficisci spe inueniendi thesauri: ibi se Daemon specie elegatis iuuenis ostendebat, indicatoq. quem foderet loco, protinus auolabat: Quod ille sumptu ac labore plurimo, fructu nullo, multos annos fecit. Is postea à nostris, Daemonis artes edoctus & ad meliora traductus, pœnitentia consilium cepit, & consumptos in sceleribus annos, confessione defleuit. nunc alias mores induit, aliam vitam viuit, & in eo recte ac laudabiliter persecut. Nostrorum autem in Catechesi tradenda frus etus cum longe lateque fercrebuisse, oppidorum eos vicinitas inuitauit, ut similes apud se sodalitates erigerent. Sed silenda præcipua utilitas in Urbe non est, è Catechismo profecta. Neapoli frequens visitur Angiportus, in quibus familie habitant insima ferè tenuiq. fortuna: Feminæ ex his plerèq. certis de causis publico carent; ita ut ne ad ædem quidem cum oportet, è suis domibus prodeant. hæ ut Christianæ fidei vitæq. simul præceptis erudirentur. Archiepiscopus variis hominum generibus emissis, summa olim contentionе curarat. Sed cum la-

borem fruſtra ſuſciperet, ſacerdotem è noſtris à Pa-
tre Generali, cui id oneris committeret, impetravit,
qua in r e noſter ille Deum habuit ita propitium, vt
cum ſemel quotidie ad ea loca cum ſalutari vexillo
& puerorum agmine proceſſiſſet, breui effecerit, vt
iam Vrbe tota Christianae legis initia puerilis mul-
titudiniſ vocibus decantentur. Abeamus à Cate-
chismo, & quibus alijs rebus noſtrorum ſe Charita-
tas occupauerit, indicemus. Neapoli ſeptimo Idus
Maij cum annon e cauſa, grauiflma orta eſſet in Ci-
uitate ſeditio, totaq. Vrbe cum ferro insana plebs
volitaret, ingens omnibus iniectus eſt metus, ne to-
tius Ciuitatis interitus conſequeretur. quibus turbis
cum ſe nemo auderet opponere, venerunt ad nos vi-
ri nobiles ſupplicantes, vt noſtrorum corporum op-
poſitu furor em illum à Ciuium ceruicibus depelle-
remus; reuerituros homines noſtram pr eſentiam,
& deſtituros à c aptis. placuit public e cauſ e ſine
cunctatione ſuccurrere. Itaque egressi Rector aliq.
de noſtris, inter fulgentes gladios cum Crucifixi
ſigno, plebem à maleſicio continent, verbis miti-
gant, blandeq. monent, public e incolumitatis ratio-
nem ducat. Quibus vocibus ſenſim multitudo di-
lapſa eſt, plurimiq. in paenitentiam versi, ne maius
ſuſcitaretur incendium. Sed vt huius Collegij fi-
nis ſit, & quod primo loco debuit, poſtremo comme-
moretur, cohonestauit has aedes Alphonsi Salmero-
niſ obitus, qui fuit vnuſ ex decem illis, quos Deus
vna cum B. P. Ignatio Societatis fundamenta con-
ſtituit. is primus Neapolitanam hanc Prouinciam
admi-

administravit: in eaq. multos annos cū laude versatus ita sibi o nniū animos viuus obstrinxit, vt mortuus p̄e multitudinis studio aliquid ex eiusreliquijs habere conantis, pene discerperetur, capilliq. et barba vnguesq. omnes ad vñū euulsi sint. Obiit Idibus Februarij iam septuagenarius, Toleti in Hispania natu: cuius egregia virtus per amplam suppeditat vel indiserto materiam: Sed quoniam quæ dicenda essent, separatum potius volumen exigunt, quam vt his litteris illigentur, idque aliquos iam conari nuper accepimus; concedemus hanc illis gloriā, vt quæ eorū potius facultate sūt digna, ea ipsis integra reseruemus.

COLLEGIVM NOLANVM.

NOLAE nouitiorum numerus augetur, nec ex his desunt, qui Societatis potiendæ causa domesticorū prælia sustineant. Adolescens in primis nobilis cum Societatem haberet in votis, totū se dinarum rerum studio tradiderat. quod odorati parētes, minaci eum denūtiatione prohibent ab omni adiutu et congressione nostrorum. Sed iusto reconditoq. Dei iudicio, paucis diebus moritur adolescēs, acerbissimo parentum vulnere. quorū ille consilium in extremo spiritu facete risit, quod se ab hac terrestri Iesu Societate dum conantur abducere, in cælestem illam transmittenterent imprudentes. Matri autem, quam ex interitu carissimi filij vehemens est iniecta plaga, tamen nostrorum suasu atque oratione, ad templum postridie venit, & confessionis communionisq. operata mysterijs, ita dolori moderata est suo,

ut ad nigrati plerique dicerent, tantum ei roboris ac
constantiae ad doloris vim superandam, nisi filij pre-
cibus accedere non potuisse. Aliorum pugnis at-
que victorias, qui denique Societatis compotes facti
sunt, nihil attinet recensere.

Institutus est diuinorū studiorum causa è Sacer-
dotibus cætus quidā, quo Canonici voluere pleriq.
atque adeo Vicarius ipse Ciuitatis adscribi. Quæ res
quanquam præsentem animorum utilitatem ostendit; spem ta-
nen in iucit non minorem, fore ut quem-
admodum clericorū numero, ita etiā pietatis incre-
mentis amplificetur. Hunc cætū vna cū Gymnasio
tecenti Episcopus cum inuisisset, & oratione, &
carmine esset exceptus; nigrificam ex vtraq. re vo-
luptatem uisus est percepisse. Altera item ad ins-
tuendos opifices paganosq. est cæpta sodalitas, in
qua nouitij versantur ad quinquaginta: habent
enim & hi sua inter se tentamenta, quibus eorum,
qui ad suum cætum se aggregarint, constantiam ac
voluntatem explorent. crescit autem numerus vna
cum die: miraq. sodalium est in colligendis adiun-
gendijsq. nouis fratribus nauitas & industria. Res
ex animi sententia plane succedit: nam præterquam
quod ad suum quisque officij munus instruitur, ab
ijs etiam sceleribus auocatur, que per dies festos ces-
sationis suadet inertia. Quibus rebus non medio-
criter aucta est pœnitentium in æde nostrâ fre-
quentia, nullusq. ferè de nobilitate iam est, quin
erga Societatem optime sit animatus, apud eamq.
se se rite, & perlitter expiet. quo etiā ex genere
in sode-

in Sodalitatem adscripti complures, ut generis splendor, sic virtutum exemplum præludent. Ac dum confitentibus aures dantur, audita est mulier, quæ non tam sua sponte, quam Dei matris admonitu ad nos se contulit. hæc cum diurna quadam & occulta ægritudine, cuius ne ipsa quidem causam norat, pene iam contabuisset, ad extremum visa est ei Maria Virgo peramanter monere, ut sacerdoti nostro confiteretur: sic fore, ut mæstriae nubes penitus eua nesceret. cum mulier paruisse, totamque rem sacerdoti narrasset, quæsiuit pater, an scelus aliquod aliquid in obeundo parentiæ sacramento præteriisset. cum illa sacrilegium suum ad memoriam redigisset, causa mæroris intellecta, confessionem orsa est denuo ab ultimis annis usque ad nouissimum: atque hæc fuit medicina mæroris, & initium tranquillæ hilaræq. vitæ.

Nouitij porro quamquam sibi met curæ sunt, satiſq. in suis ipsi colendis animis occupantur; tamen eorum pietas non se do nescicis tantum tectis ac paretibus continet, sed foras etiam prodit, & permaneat ad exterios. Propinquo in Agro partim Christianæ fidei articulis præceptisq. tradendis, partim opportunitate diuini verbi, virilis ac muliebris sexus per pulere complures, ut confessionis gratia ad nos contenderent: in eisq. non inutilis consumptus est labör: patefacta sunt immania scelera, quæ diurno compresa silentio nunquam eruperant: & vii feminæq. omni scelerè notatissimi, vitæ cursum reuocarunt, moresq. perditos conformarunt. In Ur-

be vero per Bacchanaliorū dies , quos peruersa ho-
minum consuetudo omni impunitati licentiaeq. dica-
uit, Quidam concionabundus ē nostris, cum in me-
dium ludicum , quod tum dabatur à personatis , se
inieciisset, totam repente multitudinem à spectaculo
auertit; ut ipsi quoque ludiones, personis positis, ce-
teram turbam sequi in templum non dubitarint. hic
partim concione, partim alijs diuinarum rerum oc-
cupationibns totus ille traductus est dies . Nec mi-
nus feliciter de nostris alter in pago proximo , cum
personati in foro plurimi consertis inter se manibus
choreas ducerent, ceteraq. paganorum turba ludi-
cro esset intenta, Christi cum effigie in crucem acti-
fēse immisit in medium ; & tum orationis vi, tum
specie ipsa Redemptoris ita perculit vniuersos , ut
illico ad genua ingenti cum detestatione facti pro-
ciderint. iussit eos Pater , pœnarum loco , symbo-
lum Apostolicum clara voce pronunciare: inde ad
adē nostrā, quæ mille passum aberat , vniuersa
multitudine comitatus ascendit . ibi plurima ani-
morum expiatio facta est.

CATACENSE ET ALETINVM.

CATAZORII Turca ex ijs vñus qui in
seruitute sunt, dudum iam à nostris , Christia-
nis institutis excultus, die baptismo dicta, ex Colle-
gio nostro ad adē maximam duos inter Sacerdotes
candidatus, prosequente sodalitorum omnium sup-
plici pompa, processit. ibi in summa populi frequen-
tia

tia publicaq. letitia, solemnis ab Episcopo ritu ac ceremonia baptizatus est. Est & in hac Vrbe suum quoque ex opificibus sodalitum. Elucet in sodalibus pietas, & studium alienæ salutis. Quinquaginta circiter ijs sunt, & suas plerique uxores ceteramq. familiam ad eluendas rite noctas adducunt. Præter hunc cætum, qui hoc anno primum sumpsit initium, est aliud quoddam e viris nobilibus sodalitum: cuius sodales cum Dei Matris tutelæ fideiq. commissi sint, præsens eius nomen & vim experiuntur. Vir honestus & clarus acerbo incitatus odio in vnum ex Sodalibus, loci solitudinem nactus, dum ferrum in eum distringit, iuuenes repente duo visi sunt tendere ad ipsum recta: quibus ille velut indicibus, veritus ne suum scelus pateretur, multa ijs male precatus, re infecta discessit: iuuenes autem illi statim ex oculis dicuntur elapsi: ut missi videantur ab ipsa Dei Matre, qui suam homini opem tum imploranti succurrerent. Aegrotus quidam cum multo manè sacerdotem nostrum magnopere euocasset, nouo quodam pœnitentiae studio incensus, multis audientibus enarravit, se quod inter confitendum pudore deterritus peccatum præteriisset, & tamen Christi corpus ore animoq. sacrilego suscepisset; excruciatum se priore nocte acerbis a Dæmonibus flammis, cupereq. se per confessionem nisi molestem esset, annorum peccata quatuor & viginti repetere. Pater aures illi præbuit; magno diuine aduersus eum pietatis argumento, nam secundum

dum confessionem intra duas horas animam eger efflauit. paucis autem post eius mortem diebus, cum ad eundem Patrem alius quidam confessionis gratia se contulisset, narrauit eum, qui pridem decesserat, noctu ignito cum baculo sibi visum: querentiq. saluus ne esset, respondisse, velle Deum, uti omnes homines salvi sint; sed tamen etiam tum misse, andum in modum purgante igne torqueri.

In Aletino Collegio, ut Superiorum annorum memorii satis indicat; quatuor sunt sodalitates. quarum studia, & preclaros impetus ad virtutem qui norit, maxime recreetur. sunt sibi ipsi sodales alteri alteri exemplo: & quantum homines in obsequendo suis cupiditatibus, tantum illi in repugnando, curae atque opere ponunt. Vir Illustris ex hoc numero cum animi se se efferentis fastidium cor primere insigni aliquo facinore decreuisset, mendici pedes, qui medio in foro primus occurrit, populo inspetante, deosculatus est. Alius vero colapho percussus, cum vlcisci iniuriam perfacile posset, nec decesserat, qui linguae flabello ire flamas accederent; tamen omnia Dei causa condonauit, cum diceret, alienum esse a viro christiano, inimicorum iniurias persequi: ac ne qua in anno odio macula resideret, se se illico pœnitentiae & Eucharistiae Sacramento purgauit. Par alte ius sodalis in ferenda iniuria constantia, qui verborum asperitate ac contumelias ab altero prouocatus, nihil nisi summisse leniterq. respondebat. qua animi aequitate insolentioris factus, in hominem furenter irrituit, & contumeliose percussit. ad
banc

hanc autem ignonimia notam delendam cum multa
homines incitarent, fratremq. præterea, aliosque
propinquos, viros acres, et manu promptos habe-
ret; nihil tanen aggredi, nisi consulto patre, quem
habebat à confessionibus, voluit. cuius oratione pla-
cat: s, non modo lubens remisit iniuriam; sed ope-
rā etiā dedit, nihil ut ea de re ad fratri aures pro-
pinqoru nūc perueniret, ne videlicet militaris insol-
lentie homines ad iniuriam suo nomine vlciscendam
inflammarentur. Ac ne in vnius tantum eiusdēq.
virtutis studio commentari sodales versariq. pu-
tentur; feria quinta sacrosanctæ hebdomadæ cum
mendicos tredecim illuuiie pedoreq. obssitos conqui-
sissent, atque in sacellum alduxissent; tum i.e. pedes
suis ipsi manibus abluerūt, tum panem pecuniamq.
donarunt. Quibus tantis virtutibüs, ut alijs etiam
pietatis officijs, eam sibi gratiam & existimationē
vbiique compararunt; ut ad reconciliandas homi-
num inter se voluntates, dirimendasq. lites, aucto-
res ferè adiutorēsq. adhibeantur.

BARENSE COLLEGIVM.

BARRI ad sodalites duas, quæ cum ipso pe-
ne Collegio, at&sunt, tertia & quarta hoc an-
no plebiorum hominum accēdere. in altera robu-
stiores iam etate viri, in altera versantur adolescen-
tes. His sodalium quidem nūnq. nondum habentur,
nostrorum tamen concessu atque permisso, coeunt
precationis causa in oratorium, quod nostris in edi-
bus

bus exornarūt. Vtrīq. tantos habent in virtute progressus, vt ceteris cum sodalibus si minus antiquitate & dignitate; pietate quidem certe, ac religione conferantur. Anno proximo aliis è rusticis celebra rj cæptus est cætus, qui in alteram classem festo quoq. die diuinarum rerum causa coguntur. Horum tanta est morum integritas, & in proximis iuandis nauitas, vt ipsorum exēplo alia eodem instituto, in æde maxima sit sodalitas inchoata; qua cum ob loci celebritatem (habet enim is & propter sanctorum ceterorum reliquias, & maxime ob Episcopi Sabini corpus tutelaris diui, apud omnes veneracionem) tum vero, quia Archiepiscopus canoniciq. aliquot ei præsunt; frequentia multo maiore quam nostra, fructu tamen eodem celebratur.

E nobilium autem sodalitate negotiator, vir integer obiit, qui meliorum cupiditate mercium, mercaturam fratri reliquerat, & initiari sacris, vt Societati se dederet, cæperat. Hunc aliis postea subsequutus est negotiator ditissimus, adolescens, & multis naturæ bonis instructus: qui ipse paucis diebus è vita sublatus, materia sermonibus dedit; quod vulgo dicerent, delicatum adolescentem, nimia vita asperitate à Societate peremptum. Sed conciderunt hec ipsa perse, ubi planum factum est, & qua is ex quietate animi de vita migrasset, & qua moderatio ne parentes filij carissimi mortem tulissent. tantum enim abest, vt eorum à nobis voluntates filij mors abalienarit, vt nunc nobiscum quam cum maxime sint coniuncti. Sed sodalitia dimittamus, quorum uti

litati

litati, ea quæ ex ceteris muneribus capitur opportunitas, non concedit. Vocati sunt ad spem nonnulli, qui in ultimam suarum rerum desperationem venerant, & laqueum iam capeſſerant. Vidua multiplicitate prole in summa annone caritate, qua in plenisq. huius regni partibus, ut in reliqua ferme Italia laboratum est, tres ipsos dies panem cum cetera familia non gustauerat. Stimulante fame ex domesti-
ca ſupelleſtili rededit nescio quid pecuniolæ, quod ip-
ſum filius natu maximus in aleam lufumq. profu-
dit. Mater hoc etiam ſpoliata præſidio, animi despe-
ratione vitta, ut finem ærumnis faceret, recurrit ad
reſtem. interea ſubit animum recordatio eorum,
quæ quondam apud nos acceperat, monitorum,
ſtatiq. ad Collegium venit auxiliij, consiliijq. cau-
ſa: ubi conquisita à nostris per diligenter ſipe,
cum in præſens tempus ſuſtentata eſt, tum in reli-
quum ad patientiam inſtructa ac confirmata. Alte-
ra item uidua cum famem diutius ferre non poſſet,
deiijcere ſeſe in profluenteſt una cum liberis conſti-
tuerat: ſed cum ſimiſiter confugifſet ad noſtros, inue-
nit, & qui ſuę uitę corporiq. conſuleret, & qui ma-
le inſtitutum animum conformaret. In uicinis op-
pidis animarum cauſa proprie enixeq. ſuſcepta eſt.
Altamura, quod oppidum Bario diei iſer abeſt, à
ſacerdote noſtro concionum præſidio multa ē re-
diuina ſunt geſta. mos in ea urbe fuit, ut cum
quiſ efferretur, mulieres affinitate coniunctæ,
funus ad templum prosequantæ, lugubri lamenta-
tione atque eiulatu cuncta complerent, crinēs
uellerent,

velleret, genas vnguisbus laniarent, domumq. reuerse tres quatuorue annos cineribus insiderent, vt ne ad rem quidem sacrum templum peterentur. qui mos cum antea nullis antisitatum denuntiationibus atque interdictis tolli minuique posset, tandem nostri sacerdotis concionibus, Deo adiuuante, perfectum est, ut in propinquorum carorumq. funeribus, vel domi se mulieres teneant, uel si ad eadem prodeundum sit, dolorum luctumq. minuant.

MISSIO BENEVENTANA.

Beneuentum superiore anno quatuor et Societas profecti rogatu inuitatuque ciuium, qui templum et rectigal extruendis Collegij sedibus offerebant; dum munera societatis obeunt, lis est ab ijs, qui se antiqua pelli possessione templeri querebantur, iniecta. quare ne qua Societati macula aspergi posset, si litibus iudicijque tum primu nota in ea urbe fieri; et faciendum P.N. Generali uisum est, ut inde nostri tantisper abessent, dum ea controuersia disceptaretur a ciuibus inter se se. Quadragesimæ tamen aduentu, uiris principibus postulantibus, præmissus est concionator, expletoque concionum curriculo relicitus Sacerdos missionis nomine, cum comite fratre. Interim causa ad Cardinales Romam reiecta, cum iudicatum esset templi possessione ueteres dominos non conueniendos; Societati ueo, si in ea urbe esse uellet, alio in loco eadem extruendam; omnia de Collegio insituendo consilia cecidere. Quamuis enim

enim egregia sit Beneuentanorum voluntas atque animus erga nos, opes tamen ad noui templi ædificationem omnino non suppetunt. Quare spe amissa Collegij, reuocati sunt iterum nostri: sed eorum discessus multo magis Beneuentanorum nobis animos patefecit: tam multæ enim nostris abeuntibus excitatæ sunt lacrimæ, ut ne salute quidem plerisq. dicta, discedendū de nocte fuerit. Dubia uero adhuc cauſa, nobiles matronæ complures, ut nos retinerent, pane & frigida ieunarunt: puellæ septem perpetuam Deo virginitatem consecrarunt: alia templo nudis pedibus obiere: nonnullæ sacra facienda curarunt: quedam certas horas precationibus destinarunt: aliaq. alia longe plura ac maiora fecissent, nisi earum ardori moderandum sibi Sacerdos noster putasset. Multa instituto nostro Pater hic gessit. defendit ab impurorum hominum petulantia honestarum mulierum pudicitiam: multos qui alieno animo inter se erant, in mutuam gratiam amicitiamq. restituit: alios à maleficijs atque improbitate ad alterius ritæ vocauit exordium; quæ singillatim percurrere non est necesse. Illud tamē, quod in curādis rite animis accidit admirabile, non silebitur. Mulier cū graueriter ægrotaret, & mutantibus subinde medicis genera curationum, alere diu animum salutari pane non posset, statuit tandem corporis medicamentis abiectis, vnam animi salutem querere. mira res. Eucharistia rite suscepta, subito vis morbi remisit, breuiq. animi medicina sustulit, quod leuare corporis curatio non potuit.

PROVINCIA SICILIA.



VN T in Sicilia Provincia de nostris tredecim circiter ac trecenti. In Professorum Domo Panormitana quatuor & quadraginta. Vno plus in Collegio. Duo de octoginta Messanae. Drepani, Biuona&q. utrobiq. septemdecim. Vnus & viginti Catanae. Duo de viginti Syracusis. Calataierona viginti. Rbegij quindecim. Tredecim In Collegio Montis regalis. In Probationis Domo septem circiter & viginti. Excesserunt e vita quinque. Aggregati sunt quindecim.

DOMVS PROFESSA Panormitana.

EA est in Professorum æde Panormitana frequentatio sacramentorum, ut si superiores annos cū proximis conferamus, maiores quotidie gratia habenda sint Deo, qui nostros labores tam frugiferos reddit. Sumunt Domini corpus diebus dominicis octingenti: ceteris, qui præcipuum quandam religionem continent, tria millia. Vno Iubilæi die sumperunt circiter quinque millia: & quamquam eo die

eo die prima luce patefactum est templum , intermissaq. propter communicantium multitudinem concio; tamen ad duas post meridiem horas dispensatio Christi corporis tenuit . Quorum mysteriorum utilitas in animorum commutatione perspicitur . de pulsa sunt enim furta & latrocinia, & odia, multaque pericula animorum . nam & qui signatum tenebant argentum, forfices cum argento quod sibi corraserant, reddiderunt : Et insignis latro, qui exsulum dux erat , quiq. præter alias maculas in vita suscep-
tas, plurimam se cæde polluerat (centum enim cædibus interfuerat) superioris detestatione vita, visitataque peccatorum expiatione resipuit . & nobiles viri feminæq., qui mutuis irritati odijs in mutuam conspirauerant cædem atque perniciem , missas iras fecerunt . Multi etiam delectas ad libidinem feminas, ex quibus liberos iam sustulerant , expulerunt . Nonnulli à nefarijs se coniugij , quæ ut castis parcamus auribus, verecundo silentio libet inuoluere, quam libera in oratione ponere, disiunxerunt . Nec satis fuit vitijs tantum & male factis homines deterrere, nisi etiam ad virtutem & beneficia uocarentur: complures enim ex ijs, qui suam nobis salutem animasq. committunt, tam uiri , quam feminæ, ex maxima libertate & commodorum affluentia, in cœnobiorum custodiam sua sponte se incluserunt. in quibus sorores hoc anno duæ , priusquam in cœnobium uirginum se coniicerent, nostre memores discipline, ueste in usus templi plurimi pretij , multaque pecuniam in ædificationem domesticam contulerūt.

Sed horum ciuium liberalitas maior est , quam vt
singula colligenda sint argumenta . Tria Scutato-
rum millia sum na benigitatis attingit; vt iam ne-
que ad rem sacram, neque ad domesticam quicquam
desideretur . Atque hæc præcipua in Panormita-
na domo sunt acta: nam quæ apud finitos populos
perfecta sunt , ea fere nihil discrepant ab urbanis.
Sed vnum quod proxinis litteris præteritum est,
non ab re fuerit hisce litteris indicare . Venetus Pro-
vincialis quibusdam nautis cranium quoddam è San-
ctis Innocentibus cum alijs pijs quibusdam rebus
ad nos dederat . Illi quantum thesaurum secum adue-
berent, sentientes, partiuntur quæ credita erant, in-
ter se se , craniumq. gubernatoris obtulit . qui
cum Siciliam in columnis tenuisset, expositisq. merci-
bus aliam esset nauigationem ingressus, subito mor-
bo corripitur . verum cum dies aliquot nauigasset,
nec portu n ullum tenere posset, denique vi tempe-
statis abreptus, Milacium Siciliae portum venit . hic
excensione è navi facta, adhuc ægrotus cœnobitam
quendam confessionis causa conuenit, taetusq. reli-
gione surrepti Cranij , cranium ipsum quod ad nos
mitteret, ei dat . ita perditam valetudinem reuoca-
uit; vt intelligeret, non prius potuisse corpus morbo,
quam religione animum liberari . Cœnobita vero cū
vel obliuione, vel incuria fortasse quapiam, depositum
non redderet, ipse quoque tentari cœptus est
morbo: & quamdiu sacras illas reliquias apud se ha-
buit, habuit autem annum circiter & dimidium,
samdiu sine suo vultu sine colore fuit , dum ad ex-
tremum

tremum exemplo gubernatoris admonitus detulit, quæ tenebat.

IN Collegio Panormitano meliore loco sunt litteræ. auctum est gymnasium tum auditorum numero, tum magistro, qui doceat ea quæ ad officium & conscientiam pertinent. Discipuli præsertim, qui Dei Matris sodalitatibus continentur, non minus in pietate quam doctrina proficiunt. Ex his tres suam in Societate adolescentiam Deo Optimo Maximo consecrarunt, plurim isq. mens eadem est. Nostri dum in litterarum studio versantur, & si non possunt illi quidem ut vellent, seruire commodis animorum, tamen si quando eius rei se dedit occasio, eam perlibenter arripiunt. Iuris docttor ad exercendum diuinis commentationibus animum more Societatis inductus, partim beneficio tam salutis exercitationis, partim p̄ijs nostrorum collocutionibus ita profecit, ut non prius à nostris abire vellet, quam ad Nouitorum disciplinam dimitteretur. Nonnulli etiam, qui vlciscendi cupiditate flagabant, nostris suorum, arma cum odii depositurunt. Exposita sunt etiam in urbanis Parœciis, pueris ac multitudini elementa Christianæ legis, non minore utilitate discentium, quam magistrorum labore.

MESSANENSE COLLEGIVM.

PLACVIT diuinae sapientiae, fortuito incendio, partim nostrorum in hac urbe explorare
E 3 virtu-

virtutem, partim præteritam remunerari pietatem: ut qui proximo anno externum extinxissent incendium, domesticum hoc anno ac proprium extero- rum ope auxilioq. restinguerent. Sed ut à principio tota res repetatur, decimo Kal. Aprilis quarta circiter noctis hora, nescio quo casu excitatum est in æde vetere, unde in nouā biennio ante migravimus, peracerbum incendium. erat in eo templo tanta lignorum strues, quanta ne in reliquo quidem Collegio vniuerso. quare ut natus ignis erupit, collectis subito viribus adeo lōge lateq. vagari cœpit, ut alia præter domestica requireret auxilia. Nostri igitur incendijs viribus impares, dum accersunt externa, sentit hoc Arx ciuitatis: quæ cum in editissimo sita sit loco, flamarum magnitudine territa, quas extolli ad cœlum usque prospexerat, noto ciuibus Capanæ signo, ad ferendam Collegio opem vniuersos exfuscat. Ut Collegium ardere cognitum est, is subito cursus hominum fuit è summis, medijs, infimis, ut testari suam in nos benevolentiam illustriore significatione non possent. laborabat pro se quisq. oblitus quodammodo sui; ut singula in momenta crescens malum aliqua ratione comprimeret. alij aquarum plena vasa conuehere, alij scalas parietibus admouere, alij obuia quæque aduocare subsidia. Feminas quoque sua pietas ad ferendam opem è suis domibus expulit. Quin ipse quoque regni Praeses quamvis valetudinarius & imbecillus ad Collegium usque contendit, populum inflammans ad opem. Sed in auxilio ferendo primas tulit Generalis Praefectus Sicule

siculæ classis, vir omni humanitate refertus. qui cū alijs equitibus, & mancipiorum multitudine, quam ex classe deduxerat, perspicuis periculis se obiecit. Nec vero obscura sue charitatis argumenta dederunt Dominicanæ, Augustinianæq. familia Patres, qui subito experrecti ad propulsandum periculum conuolarunt. Ac Dominicani quidē tanti casus commiseratione cōmoti, ne nostri eo die preparata alimēta requirerēt; opiparū suis ipsi in ædibus conuiuiū appararunt. Quod etsi nostri plus rei domesticæ damno, quā cibi cura solliciti recusarūt; intellectu exerūt tamen, id quod sāpe iam erāt experti, quanta sit eorum Patrum in Societatem charitas & humanitas. Tenuit incendiū septem circiter horas, tanta igniū licentia, ut conflagrare videretur vrbs tota: atque ea quidem forsitan conflagrasset, nisi iactis agnis & cera consecrata, uis venti, quæ initio vehementior extiterat, subito conquiesceret. Ac nobiscum quidem nisi in tempore Dei bonitas occurisset, attum esset multo deterius; quibus ignis præter ædem veterem, ubi instrumentum omne Sodalitatis absumpsit, totum cœnaculum inflammauit. Illustre diuinæ prouidentiæ documentum existimatum est, multos, cum in medias flamas & in aperta pericula cecidissent, intactos tamen ab igne atque incolumes evasisse. Postridie quanquam incendiū casus universa turbarat, nostriq. in restituenda partim sacra, partim domestica supellec̄tili, quam flamarum voragini in præsentia subtraxerant, toti erant; tamen nec sacramentorum administratio

id quod admirata magnopere ciuitas est, nec matutina pomeridianaue concio prætermissa est. Ergo tanto ardentius studuit ciuitas leuare incommoda recentis incendiij, & alij alia ad Collegium mittere, toralia, mantilia, cibaria, quæq. ad reliquam suppellectilem aut viclum pertinent vniuersa: vt cum multorum studia in restinguendis ignibus perspexisses, paria officia in resarcientis acceptis incommodis nō requireres. Iam diuina sapientia, quæ ex ipsis malis aliquid boni semper excerptit, ex tanto incommodo hoc cepit in animis commodi. Cives primarij duo cum mutuas iras inter se gererent, neque viorum grauium auctoritate ac contentione reuenire in gratiam possebant (compositionem enim gratia ad hoc tempus reseruauerat Deus) ubi e nostris tellitis vastus atque horribilis ignis illuxit, inimicitias oblitis priuatas, ad depellendum non tam nostrum, quam commune periculum tanto studio concordiaq. conspirarunt, ac si nullæ vñquam inter eos iræ interuenissent. ab his igitur initijs conglutinata denuo est amicitia; & euulsa ex omni memoria odiorum acerbitas. Alius cum tertium iam annum ad inimici vltionem acerbis odijs incumberet, inusitata flamarum magnitudine aspectuq. conterritus, reputare secum ipse coepit, & quæ tandem ea forent incendia, quæ apud inferos vorent animas impiorū. Quæ in cogitatione defixum subito peccatorum penitente coepit, abiectoq. vlciscendi consilio, confessio nem omnium, quæ in vita perpetrarat, instituit. deditq. ad suos etiam litteras, erat enim aduena, vt inimicum

micum studiose perquirerent, ab eoq. veniam suo nomine postularent. Abierant dies non ita multi, cum præbuit Deus facultatem aliqua ex parte remunerandi accepti à ciuibus beneficij:nā cum aliud in vrbe natum eßet incendium, nostrorum partes esse putauit Prouincialis Pater, vt eo quam primum duodecim de nostris mitteret. qui tradita sibi, vt solet à magistratibus ea cura, omni ope aggressi sunt cobibere vagantes ignes: vicitq. constans caritas flamarum iras. Ceteræ autem viae, quibus ad officium Deus homines reuocauit, tritæ atque usitatæ fuerunt. ingens enim hominum multitudo sacramentorum presidijs ad bonam frugem euasit: quicquid enim vel de coercendis libidinibus, vel de mitigandis iris, recipiendisq. inimicis in gratiam, vel de suo cuique restituendo dici solet; id vniuersum, ne res tenues atque usitatissimas conseletemur, de hoc Collegio confirmare possumus. Virgo nobilis cum è graui morbo amisisset aspectum, cœcitatem suam maxime deplorabat, quod sibi erepta eßet facultas prodeundi ad ædem nostram. Cumq. Medicorum artes nihil procederent, caelestem sibi Medicum implorandum putauit. Dat se se continenter in preces, & vt sibi propitium Deum reddat, multos Dei famulos obtestatur. Tulit suæ fiduciae fructum: redditum ei Deus tantum lucis, quantum satis eßet ad petendum templum; vt & bona mentis optata perficeret, & tamen non omnem patientia facultatem adimeret. Sed vt huic corporis, ita alteri feminæ mētis oculos Deus redditum. Mahome tanam

tanam seruam cum traducere ad Christum domini
vellent, in eoq. diu multumq. frustra sudassent; pla-
cuit Deo per Sacerdotem nostrum muliebres aures
ut veritatem acciperent, aperire. Itaque ab eo est
& Christianis imbuta præceptis, & aqua salutis
excepta.

Curat hoc Collegium sodalitates tres: & ex una
quaque fert fructus. Prima sexaginta ferme Sodali-
bus continetur, quorum de laudibus ac virtutibus,
ad ea quæ scripta sunt aliâs, nihil his litteris adiun-
gemus. Altera quinquaginta natu minoribus con-
stat, ex eaq. Societati dedere se quatuor. Postre-
ma biennio ante instituta, tenuioris fortunæ homines
& conditionis amplectitur, quorum est numerus
ad ducentos; maior quoque futurus, si per ædium li-
ceret augustias. Nullis hic cætus legibus aut institu-
tis astringitur: est tantum inter sodales qui curet,
ea ab unoquoque fieri, quæ præscriperit Pater. Stu-
dent proximorum saluti quam qui maxime complu-
res, qui multis iam annis pœnitentia bono caruerat,
ad confessionem eliciunt. egentibus suo & alieno ar-
gèto, quod ipsi collegerint, opitulantur. tutantur mu-
lierum pudicitia, & à periculis vindicant. quæ vero
egressæ verecundia fines se se omnibus perulgau-
runt, eas passim ære collecto, aut intra Cœnobij clau-
stra, aut intra sancti coniugij limites cohibent. Par-
in eos caritas qui morantur in carcere, præsertim
aduenas, qui ab omnibus plerunque deserti, exiguo
ære alieno in vinculis ætatem agunt. Ex his illi per-
soluto creditoribus debito multos eximunt. Nuper
autem

autem cum graues ac perniciosos morbos aestatis feruor in eas tenebras inuexisset, contendunt Sodales à Præside, ut liceret sibi & gros ad Nosocomium publicum ex ijs angustijs ac pedore transferre. quod quia impetrare non potuerunt, instituerunt, ad carcerem & Medicos ducere, & pharmaca ministrare: in primisq. dant operam, ut ante corporum curationem, curen tur animi sacramentis. Festis dominicisq. diebus in mendicorum cibos, & eorum quos carcer tenet, stipem corrogant: & ut eorum famem quotidianis cibis, ita sitim, aquarum copia aestinos per ardores, tum cum maxime arent omnia, depellunt. tanto est enim publicis in custodijs aquarum penuria, ut quadringentorum hominum siti succurrendum interdum sit. Denique his pietatis munibus consequuti sodales sunt, ut veri patroni ac defensores pauperum numerentur; suoq. exemplo ad hæc ipsa pietatis studia, cætum alium è viris nobilibus excitarint, qui ob eam causam ad extenuendum nouum quoddam valetudinarium annum adiecerunt.

SYRACVSANVM ET ALIA.

SYRACVSIS tres qui deserto Christo ad nefaria se Mahometi sacra conuerterant, nostrorum opera cum Christo ipso redierunt in gratiam: quorum duos in eius mox religione commodū mors exceptit. quo exemplo Mahometanus aliis, et Turcas permoti, ipsi quoque Christi legem amplexi sunt.
Miseris

Miseris præterea curata slips est, & eorum corporibus inuenta subsidia, quo: um seruandis animis studebatur. Nec sine magna Ciuitatis commendatione hic quoq. ignis, qui proximas ades inuaserat, est restinctus. Sed retulit nobis grati: im Deus, & misericordiam misericordia compensauit. multa enim in adficium, multa in tem: plum data sunt magni pretij, vt iam planissimum sit, vinci Deum liberalitate non posse.

CATANIAE vt de multis pauca tangamus, graues odiorum sublatæ sunt causæ; & cum offensiones plurimæ voluntaria obliuione deletæ, tū apertissimæ repressæ sūt cædes. Matrona nobilis cum filium haberet vnicum, isque sibi ferro fuisse creptus, nullam poterat non modo ad animum, sed ne ad aures quidem mentionem pacis admittere. rerum cum adhibiti nostri essent, Deo duce, se fregit, omnemq. ex animo deleuit iniuriam. et quamquam postea ad eam persequendam instigaretur à suis, propterea quod suis ipsi conditionibus inimici non steterant; tamen nostrorum iam antea monitis confirmata parere noluit, quod diceret impediri se religione promissi, quo se Patribus obligasset. Hanc insuorum virorum nece imitatæ sunt aliæ, quarum una ad dandam veniam nullis precibus flecti poterat. Mulieres autem quæ ex libidinibus lustrisq. viuebant, concionum præsidio se formarunt ad verecundiam, prouisumq. à nostris est, ne aliarum virginum decus in discrimen veniret. Quædā à nostris edicta maluit sibi velli capillum, lacerari vestem,

& alia multa acerba subire, quam ut à procaci adolescentे, qui se in conclave concluserat, pudicitiam suam sineret expugnari. Iam audiendis pænitentibus, quoniam nullæ in hac Ciuitate sunt curiæ, dies et noctes opera datur. Per ricos et pagos diuinis verbi semen perutiliter spargitur. Sed præcipue diuersa in oppida missi sunt duo, quorum in altero præter quotidianas conciones, adiecta est tum Christianæ legis, tum earum quæstionum, quæ de officijs sunt, explicatio; Et grauis quædam fracta dissensio. quamquam huius generis compositiones plures ubique sunt, quam ut semper commemorandæ videantur. Altero vero in oppido cum ea esset multorum egestas & verecundia, ut eos suis in tectis famæ ultima iam perimeret, summa consensione Pater instituit, ut dominico quoq. die stipem certi homines, quam postea egentissimo cuiq. tribuerent, per oppidum corrogarent. Hæc autem procuratio penes duos est viros, qui relatis in scriptum tenuissimi cuiusque nominibus, norint quibus & quatenus opitulandum cuique sit. Confessionis autem Eucharistiæq. usus nullus erat nisi anniuersarius: sed priusquam annua lex sacra nentorum recurreret, placuit Patri ad ea rite suscipienda pro concione populum cohortari, qui cum frequentissimus subito cōcurrisset, nec præberi aures tam multis pænitentibus possent; legendum fuit ad communicationem Christi corporis biduum, maxima omnium admiratione atque exemplo.

BIVONÆ cautum est, ne probrum castis feminis

feminis inferretur, reductiq. complures ad frugem, qui se impudicarum congressibus inquinarant : sed non ferunt castæ aures, ut singulorum flagitia commorentur.

In Collegio MONTIS REGALIS illud admiratione dignū accidit. Quidā cum vigesimo ab hinc anno ad Lauretanam ædem votiuā peregrinationē suscepisset, ex eoq. tēplo ignarus anathematis Pontificij, partem lateris abstulisset ; ex eo die cœpit quotannis, cum illud ipsum sacrilegij tempus recurreret, ægrotare; & mēstruo bimesiue spatio ita lāguere, ut nec genus morbi nosset nec curandi rationem. In hoc anniversario languore accersuit nuper vnum de nostris, & vt fit, in sermone cum mentio surrepti lateris incidisset, eiq. magna obiecta esset à Patre religio, sensit subito causam morbi; maculasq. animi tota vita contractas accurata confessione deleuit. dein reddidit, quod abstulerat, & valetudo subsequita mox est: ut renocare in dubium non posset, ab ea morbum immissum esse, quæ sacrilegij pœnas repeteret, ne maiores aliquando persolueret.

CALATAIERONÆ cum intestinis certaret odijs nobilitas vniuersa, & tam recenti quam vetere offenditionū memoria, eo progressa res esset, ut desperata iam cōcordia diræ stragis spectaculū præbitura videretur; dedit Deus eam vim concionatoris nostri sermonibus, ut paucorum mensium interuallo tempestate sedata, publicum Ciuitati otium tranquillitasq. redierit. Tranquillis Dei benignitate rebus, complu-

complures è nobilitate in Sodalitium Dei matri dicatum aggregare se voluerunt : nec sine constan-
tiæ laude ritam in eo cum virtute degunt . Mul-
ti etiam quò facilius omnes sibi peccandi occasio-
nes amputent, in cœnobiorum custodias sua volun-
tate se abdunt . Virgines vero triginta, ne quis sibi
virginitatis florem aliquando præriperet , Deo Op-
timo Maximo publico ritu se deuouerunt . Atque
hæc nostrorum officia quam Ciuitas amet, eius in-
dicat liberalitas: quæ, vt instituta Collegij ædifica-
tio ad exitum perducatur, in sexennium certos
quotannis reditus assignauit, vnde septem millium
sexcentorum, & quinquaginta aureorum summa
conficitur.

COLLEGIVM DREPANITANVM.

DREPANI cum in Arce publicus esset a-
leæ ludus, concurrebat eò propter ludendi
licentiam magna vis ciuium: quanta cum iniuria di-
uini nominis , atque animarum iactura , facile est
existimare . Nostrí cum diuini honoris studio, tum
humanæ salutis incensi, ab Arcis Praefecto con-
tendunt, vt clausa aleatoribus domo prauam il-
lam consuetudinem tolleret : quod cum ei esset
nostrorum contentionibus persuasum, non modo
aleam funditus sustulit, sed etiam iussit pecunie
summam quandam nefarijs lusionibus partam
pauperibus erogari. quod & ciues & milites admi-
rati, Societatis nomen magnopere commendarunt.

Ceno-

Cœnobium etiam mulierū satis amplum plurimaq.
nobilitate refertum, cum nimium licenter ac dissolu-
te uiueret, disciplina omni iam lapsa; nostrorum ope-
ra arctioribus se legibus & institutis astrinxit, pro
pt et cœnobij ratio postulabat, et Tridentini decreta
Conciliij. Per quadragesimam exiit concionis cau-
sa longinquam in urbem Sacerdos unus cum comi-
te, ibique suis vterq. muneribus magno fuit animis
adiumento. dum ille concionibus, hic priuatis sermo-
nibus, homines ad salutem uocabant, nec minus uita
quam oratione docebant. Tradebat comes cleri-
cis commentandi rationem p̄ijs de rebus, orandi q.
diuini numinis non tam agitatione linguae, quam
mentis. quotidieq. uestiginis ferme temporibus
propositis quibusdam ad commentandum locis,
una cum ipsis orabat. Erat in hoc oppido paterfa-
milia, cuius in ædibus uarie dicebantur aliquot iam
menses ex occulto uoces existere. familiaris is erat
Dæmon, qui uarijs modis hominibus conabatur il-
ludere. Iaciebat saxa prægrandia, nullius tamen ca-
pitis detimento: uasa quoque domestica alte iacu-
lās non frangebat. cumque in his teletis fidibus cane-
ret adolescentis, Dæmon cunctis audientibus, lascivis
cantibus prosequebatur testudinis sonum, aperteq.
Dæmonem se esse iactabat. cumque ædium dominus
una cum coniuge quoddam in oppidum ad sua nego-
tia discederet, comitem se se Dæmon adiunxit: cum
autem ille madefactus aqua pluia rediret, nequam
spiritus anteuertit, sublatiſq. de via clamoribus,
præmonere domesticos cœpit, ignem ut extulerent,

herum

berum iam esse in ianuis totum imbribus madefactum. Verum cum ita se illudi ædium dominus intelligeret, minitatus est Dæmoni, adducturum se Patrem de Societate, qui è suis eum sedibus exturbaret: ille vero ne id faceret, clamitare, minitariq. ini-
micitias & odium, & quamdiu in ijsdem Pater
ædibus versaretur, fore, vt se se abderet & occu-
leret. Venit tamen herus ad Patrem, & rem illi
narrat ex ordine, domum etiam inuitat, & vt ijs
se molestijs liberet, obtestatur. Pater ne imperita
multitudo elata cupiditate videndi, id quod fore
videbatur, accurreret; ad eum sibi proficiscendum
esse non censuit: tantum monuit, vt & ipse &
eius familia ablutis generali confessione peccatis cœ-
lesti pane se confirmarent: cauerentq. ne quis aut
ex domesticis, aut ex externis sermones cum hoste
misceret; neue ex eo, vt antea fecerant, occulta per-
quirerent; riderent potius quæ ab eo diccarentur, &
vt orta ex mendacijs Patre plane contemnerent. illi
cum se facturos recepiſſent omnia, dedit eis Pa-
ter ex consecrata cera simulacrum Agni cœlestis,
quod filiæ ceruicibus, vt quæ omnium maxime à
Dæmone vexabatur, insereret. Hic terrere Dæmon
cœpit clamoribus filiam, minitariq. ni ceram illam
abijceret, fore vt ei obtorto collo animam eriperet.
Sed illi Patris monita & consilia sequuti, cum lo-
quenti responsa non redderent, se seq. contra mina-
cem hostem Sacramentorum telis armarent, facile
se ab eius insidijs molestijsq. tutatisunt.

Ad aedes N O V I T I O R V M quindecim hoc

F anno

anno tironibus aditus patuit, qui vna cum ceteris
per virtutis viam domando animo belle procedunt.
Ac dum valetudinaria de more frequentat, non mi-
nus suæ pietati, quam ægrotorum animis satisfaciunt.
Sexdecim confossum vulneribus erat æger, quem cū
multi partim solatiæ causa circumstarent, partim vt
ad æquitatem animi veniamq. percussoribus dandâ
adhortaretur; vbi nullum eius iracundiæ remedium
inueniunt, Societas Nouitium, qui tum forte in va-
letudinario versabatur, accersunt. huic tantum ro-
boris, tantumq. in dicendo virium attulit Dominus,
vt saucius ille confectusq. vulneribus exclamarit;
Do libens veniam, obliuiscor iniuriam. simulq. id
renunciari percussoribus iussit: nec itamulto
post in ea loca discessit, vt sperare par est,
que ijs maxime patent, qui inimi-
corum caritatem suis iniu-
rijs antiquiorem ba-
bent.



PROVINCIA VENETA.



NO STRORVM in Veneta Provinicia numerus fuit ad trecentos. Venetijs quatuor & quadraginta. Nouellariæ 30. Patauij quatuor & quinquaginta. Brixiae quadraginta. Quinque & viginti Bononiae. Ferrariae 20. Mutinae 10. Placentiae, Mantuaeq. utrobiq. duodeni. In Foro Iulij. 13. Parmæ duo de viginti. Duo vero & viginti Veronæ. Societatem auxere septemdecim. Obiere quinque.

VENETA PROFESSORVM Domus.

INTER eos fructus, quos è reliquis suis muncibus hic Societas cepit, non exigui videri debent ij, quos è spiritualium exercitationum usu colligit. Obierunt eas viri grauissimi, præcipueq. Episcopi cuiusdam familia: quæ his erecta præsidij tota se finxit ad probitatem. Sed Theologum quedam cœnobitam meditationes illæ sic immutarunt, ut nec expiare rite animum posset, nec preces ad Deum fundere, nec imperatum Psalmodie munus exsequi, sine

F · 2 magna

magna vi lacrimarum. Episcopus vero ipse queque à ceteris muneribus requiescens, circumcisio familiarium colloquio, otium sibi sumpsit multorum dierum ex Sacerdotis nostri præscripto, ad contemplan da & tractanda cœlestia. quamdiu autem latuit abditus in cubiculo (latuit autem diebus fere septendecim) non modo ipse nusquam extulit pedem, nisi forte sacrificij causa proximum in sacellum, sed ne puerum quidem, qui sibi ministraret, admisit: satius eße dicens, tantisper carere ministris, quam interpellatoribus aditu patefacto, vagandi causas inclusæ & collectæ iam menti præbere.

P A T A V I I datur opera, ut quas Dæmon animis plagas imponit, & Deo opitulante sanentur. Puella cum diu multumq. sollicitaretur ad stuprū, tandemq. clam parentibus esset abducta, parens furore percitus ferrum arripit, ut duas alias natu minores filias, ne sibi aliquando dedecori essent, occideret. Sed ne in suum ipse sanguinem arma sumeret, Dei bonitas uetus. Occurrit in itinere Crucifixi Redemptoris imago, cuius ille commotus aspectu pedem retulit, & consiliij causa nostros adiit. Nostri non modo ut ei filia restitueretur, sed etiam tantum dotis perquireretur, curarunt, ut eam honeste collocare posset. Ita eadem opera & iusto patris dolori, & filiae famæ consultum est. Quidam cum pudicitia suam contra insidias muliebres diu acriter defendisset, ad extremum tot certaminibus prælijsq. defessus, cogitabat turpissimam deditonem. sed superposuit manum suam Deus, ne qui cecidit, laderetur. homi-

hominem continuo ad luctum reprobat, luendamq.
paenitentia lacrimis conceptam iam intus maculam-
dum in his lacrimis luctuq. iacet, ingens repente fit
fragor, ruinarum fragori persimilis, & inter fra-
gores vox exauditur eiusmodi; Quorsum tanta pu-
dicitiae cura? quorsum castitas tam exacta? at ille
fraudes sentiens hostiles, cum se contulisset ad no-
stros, expiandis rite noxis, capiendoq. Christi cor-
pore, contra omnes se muniuit insidias. Quidam
etiam de Societate Nouitius, dum ex hoc Collegio
Veronam pergit, non leues hominibus peccandi oc-
casiones ademit. cum enim ad cauponem diuertisset,
& inter cænandum muliebri ex oratione, totoq. ge-
stu corporis scortum adesse sensisset; arrepta ex eo
qui celebrabatur die (is erat Beatae semper Virgi-
nis natalis dies) occasione dicendi, sua oratione per-
fecit, ut quotquot aderant, in preces genuaq. proci-
derint: recitatisq. litanij, facili negotio mulierem,
ut impuris eius noctis voluptatibus temperaret, in
proprium cubiculum separarit atque concluserit.

B R I X I A E Oratorium paulo ante institu-
tum mirabiles habet Deo fauente progressus. sem-
per enim Sodales Sodalibus aggregantur, & alius
alium deinceps trahit ad audiendum diuinum ver-
bum, tanto multitudinis incremento, ut conuentus
causa prodeundum sape sit in atrium per amplum,
cum laxior in reliquis ædibus non sit locus. Respon-
dent autem intimis hisce studijs externa pietatis
officia, dum alijs erudiendis Christiana lege pueris,
alijs subleuandis sua benignitate mendicis, omni cura

Studioq. se dedunt. quod quidem cerni licuit aliquando in publico hominum cœtu, cum ad eliciendam in egenos misericordiam Sacerdos noster verba fecisset. reperti sunt enim, qui detractos sibi anulos magni pretij in pauperum vñulas arcuasq. congererent. Ii etiam, qnos tortor rapiebat ad necem, vt a quo animo pœnas soluerent, nostri fecerunt: quorum unus cum contra quam sibi promissum erat, inter circumfusæ multitudo nis turbam inimicum suum forensis satellitij Præfetum forte conspiceret, conqueri ac vociferari cœpit, se proditum esse: qui tamen ad æquitatem Patris cohortatione delapsus, non solum facile passus est, vt is suo in se munere fungetur, sed publice prouolutus ad genua, etiam pedibus osculum dedit. Expiationes conuersionesq. animorum frequentes illæ quidem fuerunt, sed earum non valde dissimiles, quæ alijs litteris mandata sunt. Nobilis aleator ingenti pecunia deperdita, furore actus templum ingreditur. hic aræ sacrum lapidem nefaria manu contrectat, & iacere in Deum maledicta sacrilego ore non horret. vix ad aras manus ad mouerat, cumq; digiti protinus exarescunt. reformidare ille subito numen cœpit, quod tam præsens in repetendis pœnis erat expertus: & confessio uenit ad nostros, vt astrictum tanto scelere animum confessione laxaret.

V E R O N E N S E C O L L E G I V M
& reliqua.

SVNT & Veronæ complures, qui in Dei gratiam se se apud nostros confessione restituant. Confessiones autem totius vitæ centum Sacerdos unus exceptit: ut ex hoc ipso facilis sit coniectura, pœnitentium quanta sit turba. Fructuum autem vberitas, confessionum laboribus prope par. Sed quamquam egregie pro animis laboratur, nihil tamen affertur insigne, quod litteris commendamus.

E B O N O N I E N S I Collegio admisit Deus ad immortalitatis præmia, ut eius acta vita spem affert, P. Franciscum Palmium excellentis industriae virum & probitatis eximie, optimeq. meritum non de Bononiensi Collegio modo, quod incredibili quadam virtute laborisq. constantia, quinque & triginta ipsos annos, quibus ei præfuit, ex summis rerum angustijs ad hanc mediocritatem honorum ac fortunarum erexit; sed etiam de Ciuitate, atque adeo de Bononiensi diecessi vniuersa, quam sæpe Cardinalis iussu lustrauit. Eius obitum quam grauiter non modo nostrí, qui eum numero parentis habebant, sed etiam tota ciuitas tulerit, mæror funeris indicauit. co honestarunt eius exequias cum Canonici, nobilisq. complures, tum Sacerdotum templi maximi Sodalitium, à quo solemni lugubriq. cantu, imperata à Provinciali nostro, qui tum forte aderat,

potestate, iusta ei funebria pie ac magnifice facta sunt. Obtinet tamen Ciuitas, quamquam tam industrio sumus orbati Patre, suam de Societate benemerendi consuetudinem. sed recensere singula nihil attinet. Hoc tantum dicam, præter multam ac pretiosam vestem sacræ ædi dicatam, excedere benificentia summā, tria amplius aureorum milia: vt sepius de referenda gratia nobis sit cogitandum, quam ut in quærendis animorum commodis factum putemus satis.

I N P L A C E N T I N O Collegio, constitutis vt cumq. domesticis rebus, hoc anno primum Ciuitate rogante apertus est ludus; in eoq. adolescentes octoginta fere nobiles, humanitate & primis litteris imbuuntur.

N E M V T I N A E quidem rei bene gerendæ occasio prætermittitur. Profectus est Rauennam Archiepiscopi rogatu Sacerdos, qui non modo magnum ex suis concionibus fructum tulit, sed quādiu in ea vrbe substitit, substitit autē menses circiter quinque, rem Catechisini valde prouexit: et multas ac præclaras consuetudines, quæ diuturnitate temporis interciderant, renovavit, magno cum pietatis, tum Rauennatis Ecclesiæ bono.

M A N T V A E satis secunda fluunt omnia. ad ea autem, quæ de huius Collegij ortu proxime scripta sunt, accessit varia ciuium benignitas aureorum bis mille, ad iacienda fundamenta templi, quo carebamus. Interim more institutoq. nostro, ne quod tempus prætermittatur animis consulendi, constitutus

stitutus ex ijs adolescentibus cætus est, qui Dei Matrē in suis præsidijis habere volunt. & quamdiu nullum nobis est templum, in alienis templis teneræ etati, agrestiue plebi Christiana lex traditur.

P A R M A E quoque multi sunt ad bene merendum de Societate propensi, vt ne eorum quidem sine ingratia animi nota sileri liberalitas possit. Accepta sunt eleemosinæ nomine aureorū tria millia, multaq. quotidie in templi supellecilem conferuntur: vt vel hinc specimen capi liceat, qua pietate sic ciuitas, & quam ad omnem officij laudem sua sponte propensa.


PROBATIONIS Domus cum male materia-
ta nec satis commoda Nouitorum usibus esset; fe-
cerunt hoc anno Camillus Comes Fundator, & fra-
ter eius Alphonsus, vt eam nobis à fundamentis
quodammodo renouarent. quare eodem tempore
ponuntur apud Nouitios & terrestris ædificij prin-
cipia, & perfectæ fundamenta virtutis. Ceterum
Nouellariæ instituto nostro multa geruntur. non
paucis enim, quos ad inimicorum vltionem irarum
acerbitas stimulabat, persuasum est, vt iniurias suas
clementer & moderate ferrent. Ex his quidam non
modo se flexit ad pacem, sed etiam ad cœnobium
sponte se contulit: vt ascensus ei quidā fuisse videa-
tur ad fastigii cœnobiticæ sanctitatis, iræ victoria.
Alij post redditū cum inimicis in gratiam, vt nostros
labores in ea compositione susceptos munerarentur,
potestatem nobis fecerunt (erant enim de princi-
pibus) vt tantum ex ipsorum oppido cœduæ ma-
terie

teriæ liceret aduehi, quantum ad ædium nostrarum contignationes & tabulata sat eßet.

F E R R A R I A E bæretici tres, totidemq.
Hebræi ad Christi fidem adducti sunt. atque horum
alter statim à Baptismo profectus ad coniu-
gem, quæ alio morabatur in oppido, ip-
sam quoque in eamdem senten-
tiam religionemq.
perduxit.



PROVINCIA MEDIOLANENSIS.



VINDECIM, & ducentos & noſtris Mediolanensis Prouincia compleſtitur. Mediolani in profeſſorum domo duos, & triginta. In Collegio Brerano duos, & septua- ginta. In Genuensi quinque & tri- ginta. In Taurinensi duos, & triginta. Quindecim in Comensi. In Aronensis probationis domo quatuor circiter et viginti. Sex vero Vercellis. Adscripti ſunt in Societatem vndecim. Extinctus unus & alter.

DOMVS PROFESSA.

MEDIOLANI strenue, ut folet, Chri-
ſtiana res geritur, cuius rei quamquam pli-
rima, eaq. non levia edita ſunt argumenta; more ta-
men noſtro, ne tedeat eadem toties audire, è medit
officiorum frequentia, dicenda erunt potiffima
quaque. Ad cetera animarum præſidia, quæ horum
patrum ardor excogitat, accessit cui uſdam institutio
ſodalitatis è ſodalibus fere cētum; cuius tempe-
ratio penes ipsum Prepoſitum domus eſt, qui
dam ſpe alitur futuri progressus, hoc quoque
onus ad domesticas curas ac labores adiunxit.

Actum

Actum est cum sotibus et maleficiis, priusquam securi colla subiijcerent, ut commutato mærore, non tam fragilis iactura vitæ, quam susceptis peccatorum maculis angeretur. Quidam multarum cædiun & facinorum reus, adnitente Sacerdote nostro, capitalem sententiam tam constanti erectoq. animo tulit, ut acceptæ curationis vim repentina sauitas præferret. tota in Christo desixa mens erat, & suavis in ore sermocinatio, qua Dominum compellabat. profluebant ex oculis lacrimæ, veræ indices pænitentiæ, tam sine modo, ut ad tergendas genas promerentur sepe sudaria. ad mortem cum duceretur, à porta ad Carnificinam nudis reptare genibus semper voluit, ea significatione pietatis, ut omnium oculos in se conuerteret. Ad locum ubi venitum est, verba de patibulo fecit ad multitudinem circumfusam, & precationum subsidia flagitauit. tum datis fortiter constanterq. ceruicibus, perennè sibi vitam breui mortis genere patefecit. Alius Grassator insignis Mediolanum cum profugisset, auditio concionatore nostro, morderi acriter scelerum conscientia caput, & rationē instruendæ confessionis inire; qua peracta, & quidem ab ultimis iā inde annis, perpetuo Cœnobij carcere luendas sibi peccatorum pænas existimauit. Hunc postea ex eodem grege latro conuenit improbitate superior, non quidem visè studio, sed ut ad cogitatas cædes educeret; quæ ille non modo constanter à se se repulit, sed conantè se de mente deducere, sensim in suam sententiam ipse pertraxit. assidua enim Christiane vinendi doctrina,

Etrina, & tractatione pietatis, similem ei cœnobij
mentem iniecit, & ut vita vniuersæ maculas con-
fitendo elueret, persuasit. uerum offecit huic volun-
tati vinculum matrimonij, quo si liber ac solutus
fuisset, ad pœnitentia castra iam peruolasset: sed ne
se ipse omnino patiatur inultum, ad Aedem usque
Lauretanam peregrinationem parat, ritu atque ha-
bitu mendicantis, nullis neque nummis, neque iu-
mentis. Non est necesse singula percensere, ubi
quotidiano usu contrita & sui similia sunt omnia.
Sed in animorum tutela, ne salus quidem corporum
est deserta: nam ut multorum mendicitas sileatur,
cui piorum ære subuentum est; nostrorum etiam sua-
su vir Princeps seposita pecuniae summa, montem
quædam, ut appellant, Pietatis, seu nummorum acer-
uos primus extruxit, unde certum quotannis argen-
tum, dotis nomine, in eas adolescentulas erogetur,
quaæ cum inter sacras Deo Virgines cooptari velint,
per tenuitatem, fortunasq. non possunt. sunt enim
huius generis puellæ permulta, & decretis cautum
ubiq. est, ne feminae ingressuræ cœnobium recipian-
tur indotatæ. Diuisæ sunt & in externa loca vigiliæ
studiaq. nostrorum; & ut minora linquantur, per-
seueratum in tuendis sanandisq. Grisonibus: nec
prædarum hoc anno minus est factum, quam supe-
riore. Quindecim Zuinglianam detestati sunt hære-
sim, & qui nutare uidebantur in ratione catholicæ
veritatis, ad constantiæ grauitatem firmitatemq.
traducti. Cœperunt ipsi quoque hæretici suos libe-
ros ritu catholicæ baptizare, multiq. iam etate pro-
uelli

uecti sua Sacerdoti peccata, id quod antea nunquam fecerant, confiteri. Allicitur hominum pietas publico ceremoniarum cultu, usurpandisq. ex apparatu anniuersarijs Ecclesiæ ritibus: his enim maxime, inculta agrestisq. gens capitur, quæ nondum oculos ad elegantiam Catholicæ pietatis assuefecit. Excitatum est ferias ante paschales, quo tempore indignissimam sui sponsi necem atrata luget Ecclesia, Se pulchrum Christi quam apparatissime. cuius spectaculi fama ac celebritate ingens vndeque multitudo confluxit. nihil visum vel ad aspectum iucundius, vel ad ciendos interiores animi motus, efficacius. Hoc cursu res Rhetica cum procederet, iussu acci- tuq. moderatorum redeundum nostris fuit: quo- rum discessum ingens Grisonum subsequuntur est mæror. Resp. vero grati animi causa publico dipломate testatam voluit esse nostrorum, ut dicebat, integritatem, frugiferumq. conuictum: & ad eos ipsos litteras postea dedit officij plenas, quibus & suæ Ecclesiæ solitudinem, cultorum de- stitutæ præsidio, querebatur, & celerem nostris re- ditum suadebat, ne loca illa tam aspera & inculta desererent, quæ colere tanto labore & contentione ceperissent.

BRERANVM ET GENVENSE Collegia.

IN BRERA NO Collegio, ut à litteris or- diamur, florentissima iuuentute refert& sunt scho-

scholæ . nam quamquam nobilissimi contubernij numerus , quod aliquot ab hinc annis Borromeus Cardinalis instituit, à nostra repente disciplina se se ad domesticam priuatamq. conuerterat ; improbis scilicet inuidorū sermonibus , qui in Archicpiscopij aures insusurrabant, adolescentes descendit cupidos apud nos non ita multum laude procedere ; tamen ubi planissimum factum est, quam inania essent illa, quæ disciplinæ nostræ obijciebantur , duobus vix mensibus interpositis, latum unde abierat, cum suo commodo , tum Gymnasi dignitate reuertit. Non minus eidem Academiæ existimationis accessit ex aduentu noui Antistitis in hanc Vrbem : quem ut auditum est ad ædes nostras iter habere, certatum ingenij est vario multipliciç. carminum apparatu , ut pro dignitate tantus Præful exciperetur : nec absuit , quantum coniisci potuit, plausus approbatioq. doctorum, qui ut ad spectaculum audi conuolarunt , ita omnia studiose auideq. lustrarunt . Iam quamquam sapientiæ studia Collegij sedem sibi potissimum vendicant ; non tamen ea sic vigent, ut animorum procuratio iaceat . his enim suum quoque tempus operaq. tribuitur. Persuasum est desperatae mentis hominibus, ut mores suos componerent , & superioris vite dedecus insequentis laude corrigerent. Aperte sunt Dæmonis fraudes, quibus fucum animis faciebat . Deletæ euulfæq.: iniuriæ ex inimicorum pectoribus . et ad meliorem ereti spem atque fiduciam , quos à ratione, desperationis dolor auerterat. Quibus rebus idcirco exempla

pla non addimus , ne in rebus non grauissimis multi simus.

G E N V A E , id quod alijs litteris scriptum est , plurimos ex ijs , quas instituimus , Sodalitatibus , fratribus capimus . Sodales cum mutuo sibi sunt ad omnem decus incitamento , tum alios sibi eiusdem virtutis socios & consortes adiungunt . Fuit , qui decem in hunc cætū traduxit adolescētes : alijsq. ita sibi ipsi uiuunt , ut quotidie ad maiora nitantur . Plurimi ad Cœnobiorum disciplinam sibi parant ascensum ; ijsq. iam inclusi sunt decem , si par enumeretur : adolescentum , qui nostrum sibi ordinem delegerunt . Sed , quod in maxima laude ponendum est , discunt sodales inimicorum iniurias uoluntaria obliuione conterere . Quidam cum duas ab inimico plagas , cui sex annis ante pepercera , accepisset , et quidem alterā in ore , insigni deformiq. nota ; comprehenso à magistris percussore , cum iure iam posset agere , tantum abest , ut ad iustum vultionem nouis irritatus iniurijs exarserit , ut ne tum quidem oblata occasio ne sit vsus : ne tandem molliter ira succumberet , cui aliquando fortiter restitisset . Non minoris fortitudinis documentum in ira cohibenda ab alio sudali datum est , qui cuiusdam prædij frugibus iniuria priuatus , et conuijjs , contumeliosoq. colapho lacesitus , tametsi prima illa animi concitatione serrebatur ad cædem , & in iustum ignominiae notam cruoris effusione delendam ; nequaquam tamen , regente & protegente Deo , ira fræna permisit ; sed ingressus continuo templum , stratusq. ad Crucifixi redem-

redemptoris effigiem, vna eius vulnerum probro-
sæq. mortis recordatione, medicinam fecit recenti
tumori, omnem subito ex animo deleuit iniuriam, et
in amorem vertit iras: tanta ad sanandos animos in
I E S V Christi cruce vis est. Deterriti sunt à ma-
leficijs vi potius opeq. diuina, quam humano consi-
lio, homines non obscuri. Inambulabat non procul
ab æde vir nobilis cogitabūdus & tristis pauoreq.
inusitato perculsus; cui cum Sacerdos noster præ-
ter suam consuetudinem templo egressus, quid ani-
mum curarum angeret, requisiſſet; suamq. si opus
eſſet, operam atque auxilium humaniter ſpoondiſ-
ſet, nec tamen ille quidquam de concepto metu re-
mitteret; ſuſpicatus eſt Pater grauius aliquid forte
ſubeffeſſe, quod tam inuitate vultus hominis atque
ora mutaret. vrget denuo, & alacriore ſtudio ſuam
illi operam pollicetur. qua ille tanta humanitate
captus atque allectus res occultiſſimas aperit, quas
diu inclusas habere ſine conſciētiā angore non pote-
rat; clādeſtina de nobiliſſimi viri cæde agitari conſe-
lia. Pater ne cogitatū ſcelus perficeretur, ſūma cau-
tione omniq. animi prouisione curauit; & quoniā,
meditato ſceleri ſubeft adhuc præſentiſſimum peri-
culum partium; id nunc à noſtris agitur, ut factio-
nibus permulcendis tollantur armorum cauſæ. quod
ita fore, eodem adiutore Deo, quo edita ſunt prodi-
tionis indicia, ſine dubitatione confidimus. Sunt &
ad Iuſtitię ſtudium, qui in rem ſuam aliena conuer-
terant, excitati, & à multis multa ſunt reddita; ſed
ab uno codemq. Cive aureorum circiter quatuor
G millia

millia. Atque hæc ex Collegio Genuensi præcipua-

ARONENSIS PROBATIONIS
Domus & Vercellense Collegium.

QVI in Aronensi Domo Societatis probant, ij se ad omnem officij ac disciplinæ laudem continententer exercent: nec quicquam prius imbuuntur, quam prae Christo patriam, parentes, genus, & se ipsos vilia habere. Ex his quidam cum in eo itinere, quod Mediolani tritum est, suos offendisset parentes, qui eius reuisendi causa domo discesserant; nihil inopinato eorum commotus aspectu, propius accessit, & quo erat pauperis peregrinantis ornatu, stipem rogauit. ea re perculsi parentes miserari primo filij conditionem, deinde inuitare domum, que non procul aberat, & pro patria maternaq. necessitudine etiam cogere; sed frustra: non enim modo ad cœnam, sed ne ad sedandam quidem sicut de via fessum perducere potuerunt, veteres carnis deridentem blandicias, qui suavitates spiritus gustare iam cœperat. Secundum domesticos consultum externis est, partim spiritualibus exercitijs, partim compositione gratiarum. ciuitate enim perniciosis distracta factionibus, ingens perturbatio rerum, & miserabiles discordiarum exitus sequetur, nisi extinctis dissensionum seminibus, amissum repente otium & publicam incolumitatem Societas retulisset. Sed huius industria fructus ad alia quoque oppida pagosq. peruenit. Sex septemque pluri-

plurimo semper animorum quæstu, per cursa sunt loca, in ijsq. acta more institutoq. permulta. excepti sunt nostri per amanter ubique: et ad oppidum quod-dam cum peruenient, ingens factus est incolarum concursus; ita ut etiam de grabatis ægroti surge-rent, & innixi baculis obuiam irent: quos autem vires omnino desicerent, gestari se inberent in tem-plum, tum videndi, audiendiq. patris cupiditate, tū-rite animos expiandi.

V E R C E L L I S nihil est singulare: valuit hic quoque nostrorum vox ad resarcendas veteres gratias. Ciuis nobilis & cum fratre, & cum alijs ciuibus graues gerebat iras: nec reconciliare sibi Deum poterat, qui sic à suis fratribus dissidebat: ter-tiu n enim iam annum pœnitentia sacramento ca-ruerat: nec prius animi salutem recuperare potuit, quam corporis salutem amisit. iacentem Sacerdos noster inuisit, & ad curandum rite animum cohori-tationis sedulitate permouit. ubi cum Deo in gra-tiam redijt, tum demum ira deseruit, & fratrem & inimicos recepit in gratiam: ita his quasi causis egrotationis adeptis, morbus quoque ipse remisit, nec ita multo post funditus abiit. Aliæ huius gene-ris iræ publici otij bono cohibita. Vercellis sunt, quæ longiore narratione non egent.

TAVRINENSE COLLEGIV M.

DISCVSSÆ sunt Taurinij nefarie tetræq. cædes: sed præstat grauiarū reconciliationes

catholica cum Ecclesia, quam has quotidianas, & priuatas iras attingere. Reconciliati sunt de Scho-la Caluini hæretici duo, feminæq. quatuor, quarum una Christi amore subito incensa, nunquam quietuit donec suū quoque Ecclesiæ parentē, qui disiunctionis suæ fuerat auctor, incredibili cura ac diligentia restituit. Sed hæreticorum errores non tam oratio, quam rès ipsæ refellunt. Erat in vicinis ædibus multum straminis, cui cum intempesta nocte tenuis principio ignis hæsisset, nactus opportunitatem pabuli, quo se aleret, crescere in momenta cœpit, & longe lateq. diffundi. præsentissimo remedio fuit sacer Agnus è cera, quem cum coniuncti sacerdos noster iussisset in ignem, continuo constitit ignis ipse: ut eius pertimuisse videretur effigiem, cuius nutui atque imperio mare quondam ventiq. paruerant. Auxit rei miraculu effigies ipsa cœlestis agni in medijs conspecta flāmis, quæ diu suspensa et immobilis permanebat, ut & nostrarum religionum testis esset, & eorum ora, qui hac derident, tacito rubore perfundebret. E sodalitijs nostriq. gymnasii disciplina probi omnino existunt adolescentes: ut unde virtutis & probitatis instrumenta petunt, eis vicissim decori atque ornamento sint. eminet in quibusdam inusitatibus ardor pietatis, flagransq. studium cum suæ, tum alienæ salutis. Fuerunt enim qui publica scorta è medijs crepta lustris ad frugem officiumq. conuertent. Alij cœlestium rerum amore humanas deserunt curas, & in Deo uno cogitatione defixa, cœnobij otium secessatur, quo in genere probæ indolis adolescentes, nouicie-

nouitiorum consuetudine in suscipiendis mendicorū
ritu peregrinationibus cognita, idoneam captans op-
portunitatē, comitem in itinere se duobus de nostris
adiunxit; quorum pia religiosaq. consuetudine (nec
enim alijs erant nisi de pietate sermones) tantum
concepit ignis, vt ad humana despicienda omnia, se-
quendumq. serio Christum induxerit animum. au-
xit eam mentē admirabile per quietem visum: dor-
mienti enim auus iam vita functus occurrit, qui an-
te oculos rerum humanarum vanitate proposita, au-
etor ei eſſe videbatur, vt cuncta despiceret, & pue-
rum Iesum, quem præsentem exhibebat, sedulo ſe-
queretur: ita apud eum nepote relicto ſenex eu-
nuit. varie hic aspectus infantis Iesu animum ado-
lescentis affecit: ſensit enim tum primum quād ni-
hil eſſet, & ſe ſe totum tētauit atque perspexit. qua
ex cogitatione ingentē ob admissas in Deum noxas
dolorem hauit, & ex dolore inuſitatam quamdam
diuini amoris ſuauitatem: ita vt vi amoris à corpo-
re mens auulſa, Christi caros inter amplexus con-
quiescere ſibi dulciter videretur. ſed non fuit hu-
ius mora dulcedinis diuturna. obiecit ſe ſe mox.
Christus ea ipſa ſpecie, qua quondam in cruce fue-
rat, & ab illa ſuauitate, ad triftitiam ſuæ necis cru-
ciſq. traduxit. cuius recordatione ſic animus ſige-
batur, vt doloris vim conſequi oratione non poſſet.
Iniecta eſt ſubito ardens quædam cupiditas extre-
ma quæque patiendi pro Christo, ſed dum varias ſi-
bi ipſe mortes & cruciatus fingit, blande ſibi viſus
eſt à Christo moneri de cruce pendente, non magnum

aliquid facturum, si corpus tatum doloribus ac morti traderet; gratissimam autem crucem ipsi fore, si se interioribus cruciatibus ac morti dederet, que cum ceteris cupiditatibus, tum liberæ voluntati necem atque interitum afferret. hanc aiebat crucem tollendam in humeros: hanc alacriter in omni vita gestandam. inter hac visa somno soluitur adolescens curarum plenus, & in earum rerum, quas viderat, cogitatione defixus. nisi utilitas fuit seculi fuga & sanctioris vita consilium. itaque in eo nunc est, ut Societatem ineat, & quibus comitem in eo itinere se adiunxit, cum ijs se perpetuo in huius vita peregrinatione coniungat. Alij non defuerunt adolescentes, quibus ut uitam nostram genusq. capesserent, pugnandum cum domesticis fuit, nec prius eorum postulationibus studijsq. factum est satis, quam perfuncti prælio palmam gloriose tulerunt.

Ducis, coniugisq. in Societatem benevolentia eadem est, qua semper fuit, cuius si liceret officia ita litteris ut sermonibus celebrare, sexcenta huius generis scribi possent. Is proxime in templum nostrum aureos mille nummos attribuit, nec unquam in optimo benemerendi de Societate cursu eius uoluntas retardatur.

MISSIO IN VALLEM PETROSAM.

DI V I S A E sunt huius Collegij curæ exteris quoque locis, & multiplex in eam rem susceppta profectio. Obita est in primis Petrosa Vallis, quam

quam, & Perosam incolarum uulgas appellat, quæ ut in summa earum rerum, quæ ad usus uitæ pertinent, sterilitate uersatur, ita ab animi præsidij maxime est imparata: magna est enim Catholicorum paucitas, ut significatum est aliis, quam infinita promemodum hæreticorum uis obruit. Coluit hanc syluam Sacerdos noster opera ac labore semestri: & ut superiore anno summa cum utilitate factum est, ita hoc antiquissimæ curæ fuit, ceremonias ritusq. catholicos, qui hæreticorum improbitate funditus interierant, reuocare. Decreta sunt supplicationes ad ædes sacras coactiq. uicini pagi, ex quibus pōpœ celebritas conflaretur. quo ab spectaculo dolebant hæreticorum oculi, cum Catholicorum hilariores essent. Sed in hoc pomparum apparatu, quando ijs, quæ proxime scripsimus, affinia sunt, nihil est causæ, cur his litteris nimij esse uelimus. Institutus est per hanc occasionem inter Catholicos cætus quidam, ex ijs qui rudibus amictis iccis se ipsi diuerberat. hos non ferunt hæretici, hos sibi diligunt, ut irridéant, eosque obvolutos quosdam dæmones dicunt; minas intentant, stomachum q. in eos omnem erumpunt. sed quò magis furunt, cò plus animi Catholicis afferunt. tolluntur in cælum: cruces in iprorum oculis, & supplicantium agmina duplicantur. serantur limina sacrarum ædium, præsertim: quas hæreticorum occupabat impietas: & dum illi sua uenena diffundunt, hi modulatis uocibus pro ualuis psallunt, Deoq. & templorum Tutelaribus, laudes dicunt. quibus illi aliquando cantibus exci-

tati currere confessim ad valvas, & curiose quid rei
eſſet, inspicere. At Catholicorum intrepida cohors
ſacros aditus ſuorū vndique obiectu corporū obſi-
dere, et Tutelaris iterans nomen, complere vocibus
vniuersa. quarum supplicationum vſu, & Catholicorum
incitata pietas eſt, & hæreticorum superbia
paulisper repreſſa. qui ne his occurrant agminibus
longe prouident. & ſi forte occurrerint, aut conuer-
ſis repente vſtigij ſe ſe abdunt, aut auersis oculis
totum agmen cito præteruolant. Non minus eis do-
loris inuſſit aliud ad ædem B. Thomæ Cantuariensis
prodeuntium agmen. ſita eſt hæc ædes in edito mon-
te, quem propter loci religionem, & Beati illius
qui templo præſidet, patrocinium, frequenter olim
incole celebrauit ſed omnis ille religionis cultus,
hæreticorum hodie moribus obſoleuit; Catholiciq.
ut eam consuetudinem reuocarent, ſupplicantium fa-
cta manu, illuc ascendere ad colendas ſacrорū cinerē
quaꝝ ſupersunt reliquias, constituerunt: ibiꝝ. excita-
ta ara rem diuinam quam maximo apparatu pera-
gi voluerunt. has partes Sacerdos noster egit, &
inter ſacrificandum ad inflammandam pietatem
multitudinis verba fecit. nec abſuit pompa, ſclo-
porum festina disploſio, quibus dum ſalutaris mōn-
ſrabatur hostia ritu iuſtitutoq. catholicō, vallis
vniuersa percrepuit. ea re terror eſt iniectus hæreti-
cis, ne locum natura munitum præſidijs cauſa-
ſi bōſtri deligerent. Dimiſſis in ſua tecta Catholicis,
ut qui animos iam curaſſent, corpora quoque
vitafq. curarent, nihil fuit antiquius, quam ut in-
cam

eam adem celeriter se referrent, ubi vespertinorum precum cantu, reliquus exactus est dies. Hoc Sacerdotis nostri conatus Ducis quoque auctoritas adiuuabat. is ad eas valles, quae omnium maxime corruptissimæ erat, litteras dedit, quarum beneficio facilis nobis ad hereticos aditus patuit. passi sunt interposito Ducis mutu sua nos in templo penetrare, pulpita sedesq. capere, & unde sua ipsi venena simplicium animis instillabant, inde Catholicæ veritatis semen spargere, ingenti ministrorum rabie, à quibus omnis hæc alitur pestilentia. his concionum studijs ac laboribus consecuta Societas est, non modo ut Catholicæ in suscepta Ecclesiæ fide permanserint, sed etiam, qui heresibus tenebantur impliciti, nutrare in suis ipsi dogmatibus ac titubare iam cœperint. Quod si nō desint sane doctrinæ magistri, quibus ut instituerunt, continenter operam dent; perleui momento videantur impelli posse ad comprehendendam tenendamq. veritatem.

MISSIO IN VALLEM LVCER-nensem.

HANC nostri Vallem iam inde à Pio IV. Summo Pont. prius, quam Taurini Collegij constitutæ res eßent, non minus vitæ integritate, quam adiumento doctrinæ colendam suscepérunt. ij se perpetuo Waldensium hereticorum conatibus opposuerunt, & ne eorum venena atque pernicies latius serperent, prospexerunt. Est in hac Valle opidum

pidum satis amplum Bricherarchij nomine, cum ad redintegrandam hæretorum fidem, tum ad Catholicorum mores informandos, per opportunum: propterea quod magni vnde conuentus sunt. Sæpe eti Sacerdotes de Societate sunt missi, & proxima Quadragesima concionator, qui multa publice priuictimq. correxit. Lanena quæ superioribus annis per eosdem ieiunij dies assidue patebat, eo auctore clausa est: Cautumq. publico edicto, ne carnes in posterum vulgo veneant, neque hæreticis viatoribus apponantur. Aleatoria pagella, quibus augustiorum quoque dierum sanctitas fædabatur, voce præconis exterminatæ, sublateq. Chorea ac saltationes, vnde graues inimicitiae ac cædes, & alia eiusmodi orabantur incommoda. Pulsum est etiam ex oppido pestilens scortum, quod ad idem, quo ruebat extitum, multos secum è nobilitate trahebat, & ad extirpandam radicus hæresim, prouisum ne nutribus hæreticis, id quod passim fiebat, Catholicorum traderentur infantes. Odijs quoque Jæuisq. Iris, non tam priuatiss colloquijs, quam concionibus obuiatum. Homini in extrema ætate versanti vnicus intercepitus est filius, cuius opere manuq. vitam suam sustentabat. Is cū præter animam aliud nihil haberet (nam quod paululum pecunia forte superfluit, id totū in persequenda filij nec e consumperat) septimum item annū inimici sanguinem sitiens, cœlestis mensa dapibus abstinebat: sed cum concioni sacerdotis nostri, quā de condonandis habebat iniurijs, interfuisset, in pœnitentiam versus, lacrimas fudit, & ex ani-

mo deletis odijis, nihil habuit prius, quam per confes-
sionis communionisq. mysteria cum Deo quoque
rediret in gratiam. Iam horum mysteriorum nec in-
frequens, nec inutilis usus fuit, quæ ut utilius etiā
ab hominibus obeatitur, prodigijs nonnunquā & mi-
raculis admonentur. Quidam cum peccatum vomere,
quod conceperat, præ pudore non posset, eo in Confes-
sione præterito, contaminatissimo ore & spiritu su-
mere cœlestes dapes nō dubitauit: sed dum leuissimā
hostiā illapsam in stomachū putat, sensit ponderosum
veluti plumbū per fauces pectusq. delapsum, quod
intolerabili onere cor opprimens enecabat: quem do-
lorem mox etiā ardēns febris excepit, et tormenta
crescebant in corpore, dum animus resipiceret. re-
sipuit tandem, & à nostris excitatus ad spē, peccata
sua accurata confessione detexit: quibus animo libe-
rato pōderibus, suo quoq. pōdere leuatū est corpus.

Piaschij, quod Pedemontanum oppidum est, &
hæreticorū labi respersum, non pauci ad veræ since-
ræq. fidei cultū vocati sunt; et in his Caluinistam duo-
decim: confirmatiq. fere quinquaginta, in quibus ger-
manæ religionis stabilitas vacillabat. Princeps vir
affiduo ministrorū scelere ad deserendam fidem inci-
tatus, cū maxime se frangere, & ad eos inclinare vi-
debatur, tū fortissime nostrorū cōcionibus animatus
in sententia persistare cōspicit; ut etiam tū Caluinistis
certamen et subitos cōgressus optarit, ut eorū men-
dacia et fictas fabulas redargueret. Is nunc nostris hō-
minib. valde fauēt, et illorū se nonnunquā custodem
profitetur: conitēq. in iūnere se adiungere, et domū
usque

uecti sua Sacerdoti peccata, id quod antea nunquam fecerant, confiteri. Allicitur hominum pietas publico ceremoniarum cultu, usurpandisq. ex apparatu anniuersarijs Ecclesiæ ritibus: his enim maxime, inculta agrestisq. gens capitur, quæ nondum oculos ad elegantiam Catholicæ pietatis assuefecit. Excitatum est ferias ante paschales, quo tempore indigenissimam sui sponsi necem atrata luget Ecclesia, Se pulchrum Christi quam apparatissime. cuius spectaculi fama ac celebritate ingens vndeque multitudo confluxit. nihil visum vel ad aspectum iucundius, vel ad ciendos interiores animi motus, efficacius. Hoc cursu res Rhetica cum procederet, iussu acci- tuq. moderatorum redeundum nostris fuit: quo- rum discessum ingens Grisonum subsequutus est mæror. Resp. vero grati animi causa publico diplomate testatam voluit esse nostrorum, ut dicebat, integritatem, frugiferumq. coniunctum: Et ad eos ipsos litteras postea dedit officij plenas, quibus & suæ Ecclesiæ solitudinem, cultorum de- stitutæ præsidio, querebatur, & celerem nostris re- ditum suadebat, ne loca illa tam aspera & inculta desererent, quæ colere tanto labore & contentione capissent.

BRERANVM ET GENVENSE Collegia.

IN BRERA NO Collegio, ut à litteris or- diamur, florentissima iuuentute, respæctuæ sunt scho-

scholæ . nam quamquam nobilissimi contubernij numerus , quod aliquot ab hinc annis Borromeus Cardinalis instituit, à nostra repente disciplina se se ad domesticam priuatamq. conuerterat ; improbis scilicet inuidorū sermonibus , qui in Archiepiscopā aures insuffrabant, adolescentes descendī cupidos apud nos non ita multum laude procedere ; tamen ubi planissimum factum est, quam inania essent illa, quæ disciplinæ nostræ obijciebantur , duobus vix mensibus interpositis, latum unde abierat, cum suo commodo , tum Gymnasii dignitate reuertit. Non minus eidem Academiæ existimationis accessit ex aduentu noui Antistitis in hanc Vrbem : quem ut auditum est ad aedes nostras iter habere, certatum ingenij est vario multiplici q. carminum apparatu , ut pro dignitate tantus Præsul exciperetur : nec absuit , quantum coniisci potuit, plausus approbatioq. doctorum, qui ut ad spectaculum audi conuolarunt , ita omnia studiose auideq. lustrarunt . Iam quamquam sapientiæ studia Collegij sedem sibi potissimum vendicant ; non tamen ea sic vigent, ut animorum procuratio iaceat . his enim suum quoque tempus operaq. tribuitur . Persuasum est desperatè mentis hominibus, ut mores suos component , & superioris vita dedecus in sequentis laude corrigerent . Aperte sunt Dæmonis fraudes, quibus fucum animis faciebat . Deletæ euulfæq: iniuriae ex inimicorum pectoribus . et ad meliorem erexit spem atque fiduciam , quos à ratione, desperationis dolor auerterat . Quibus rebus idcirco exēpla

pla non addimus , ne in rebus non grauiſſimis mul-
ti ſimus.

G E N V A E , id quod alijs litteris ſcriptum eſt ,
plurimos ex ijs , quas iſtituimus , Sodalitatibus , fru-
etus capimus . Sodales cum mutuo ſibi ſunt ad om-
ne decus incitamento , tum alios ſibi eiusdem vi-
tae ſocios & confor tes adiungunt . Fuit , qui decem
in hunc cætu traduxit adolescētes : alijsq. ita ſibi ipſi
uiuunt , vt quotidie ad maiora nitantur . Plurimi ad
Cœnobiorum disciplinam ſibi parant ascensum ; ijsq.
iam inclusi ſunt decem , ſi par enumeretur adole-
tum , qui noſtrum ſibi ordinem delegerunt . Sed , quod
in maxima laude ponendum eſt , diſcunt ſodales ini-
micorum iniurias uoluntaria obliuione conterere .
Quidam cum duas ab inimico plagas , cui ſex annis
ante pepercerat , accepit et quidem alterā in ore ,
inſigni deformiq. nota ; comprehenſo à magistra-
tibus percuſſore , cum iure iam poſſet agere , tan-
tum abeft , vt ad iuſtam vltionem nouis irritatus
iniurijs exarferit , ut ne tum quidem oblata occaſio-
ne ſit uſus : ne tandem molliter ira succumberet ,
cui aliquando fortiter reſtitifſet . Non minoris for-
titudinis documentum in ira cohibenda ab alio ſu-
dali datum eſt , qui cuiuſdam prædijs frugibus iniuria
priuatus , et conuitijs , contumeliosoq. colapho laceſ-
ſitus , tametsi prima illa animi concitatione fere-
batur ad cædem , & inuſtam ignominie notam
cruoris effuſione delendam ; nequaquam tamen , re-
gente & protegentे Deo , ira fræna permisit ; ſed
ingreſsus continuo templum , ſtratusq. ad Crucifixi
redem-

redemptoris effigiem, vna eius vulnerum probro-
saq. mortis recordatione, medicinam fecit recenti
tumori, omnem subito ex animo deleuit iniuriam, et
in amorem vertit iras: tanta ad sanandos animos in
I E S V Christi cruce vis est. Deterriti sunt à ma-
lesicijs vi potius opeq. diuina, quam humano consi-
lio, homines non obscuri. Inambulabat non procul
ab aede vir nobilis cogitabūdus & tristis pauoreq.
inusitato perculsus; cui cum Sacerdos nōster p̄a-
ter suam consuetudinem templo egressus, quid ani-
mum curarum angeret, requisiſſet; suamq. si opus
eſſet, operam atque auxilium humaniter ſpoondiſ-
ſet, nec tamen ille quidquam de concepto metu re-
mitteret; ſuſpicatus eſt Pater grauius aliquid forte
subeſſe, quod tam inuſitate vultus hominis atque
ora mutaret. vrget denuo, & alacriore ſtudio ſuam
illi operam pollicetur. qua ille tanta humanitate
captus atque allectus res occultiſſimas aperit, quas
diu inclusas habere ſine conſciētia angore non po-
te-
rat; clādestina de nobiliſſimi viri cāde agitari conſ-
lia. Pater ne cogitatū ſcelus perficeretur, ſūma cau-
tione omniq. animi prouisione curauit; & quoniā,
meditato ſceleri ſubeft adhuc p̄aſentiſſimum peri-
culum partium; id nunc à noſtris agitur, vt factio-
nibus permulcendis tollantur armorum caſae. quod
ita fore, eodem adiutore Deo, quo edita ſunt prodi-
tionis indicia, ſine dubitatione confidimus. Sunt &
ad Iuſtitiae ſtudium, qui in rem ſuam aliena conuer-
terant, excitati, & à multis multa ſunt redditā; ſed
ab uno eodemq. Ciue aureorum circiter quatuor

ARONENSIS PROBATIONIS
Domus & Vercellense Collegium.

QVI in Aronensi Domo Societatis probant, ij se ad omnem officij ac discipline laudem continenter exercent: nec quicquam prius imbuuntur, quam præ Christo patriam, parentes, genitus, & se ipsos vilia habere. Ex his quidam cum in eo itinere, quod Mediolani tritum est, suos offendisset parentes, qui eius reuisendi causa domo discesserant; nihil inopinato eorum commotus aspectu, propius accessit, & quo erat pauperis peregrinantis ornatu, stipem rogauit. ea re perculti parentes miserari primo filij conditionem, deinde inuitare domum, que non procul aberat, & pro patria maternaq. necessitudine etiam cogere; sed frustra: non enim modo ad cœnam, sed ne ad sedandam quidem sicut de via fessum perducere potuerunt, veteres carnis deridentem blanditias, quis uuitates spiritus gustare ian cœperat. Secundum domesticos consultum externis est, partim spiritualibus exercitijs, partim compositione gratiarum. ciuitate enim perniciosis distracta factionibus, ingens perturbatio rerum, & miserabiles discordiarum exitus sequebantur, nisi extinctis dissensionum seminibus, amissum repente otium & publicam incolumitatem Societas retulisset. Sed huius industria fructus ad alia quoque oppida pagosq. peruenit. Sex septemque pluri-

plurimo semper animorum quæstu, percursa sunt loca, in ijsq. acta more instituteq. permulta. excepti sunt nostri peramanter ubique: et ad oppidum quoddam cum peruenient, ingens factus est incolarum concursus; ita ut etiam de grabatis ægroti surgerent, & innixi baculis obuiam irent: quos autem vires omnino desicerent, gestari se inberent in tem plum, tum videndi, audiendiq. patris cupiditate, tū rite animos expiandi.

V E R C E L L I S nihil est singulare: valuit hic quoque nostrorum vox ad resarcendas veteres gratias. Ciuis nobilis & cum fratre, & cum alijs ciuibus graues gerebat iras: nec reconciliare sibi Deum poterat, qui sic à suis fratribus dissidebat: ter tuu n enim iam annum pœnitentia sacramento caruerat: nec prius animi salutem recuperare potuit, quam corporis salutem amisit. iacentem Sacerdos noster inuisit, & ad curandum rite animum cohortationis sedulitate permouit. ubi cum Deo in gratiam rediit, tum demum ira deferuit, & fratrem & inimicos recepit in gratiam: ita his quasi causis egrotationis adēptis, morbus quoque ipse remisit, nec ita multo post funditus abiit. Aliæ huius generis iræ publici otij bono cohibitæ Vercellis sunt, quæ longiore narratione non egent.

TAVRINENSE COLLEGIVM.

DISCVSSÆ sunt Taurini: nefarie tetræq. cædes: sed præstat gratiarū reconciliationes

G 2 catho-

nouitiorum consuetudine in suscipiendis mendicorū
ritu peregrinationibus cognita, idoneam captans op-
portunitatē, comitem in itinere se duobus de nostris
adiunxit; quorum pia religiosaq. consuetudine (nec
enim alij erant nisi de pietate sermones) tantum
concepit ignis, vt ad humana despicienda omnia, se-
quendumq. serio Christum induxerit animum. au-
xit eam mentē admirabile per quietem visum: dor-
mienti enim avus iam vita functus occurrit, qui an-
te oculos rerum humanarum vanitate proposita, au-
tor ei esse videbatur, vt cuncta despiceret, & puer-
rum Iesum, quem præsentem exhibebat, sedulo se-
queretur: ita apud eum nepote relicto senex eu-
nuit. varie hic aspectus infantis Iesu animum ado-
lescentis affecit: sensit enim tum primum quām ni-
hil esset, & se se totum tētauit atque perspexit. qua
ex cogitatione ingentē ob admissas in Deum noxas
dolorem hausit, & ex dolore inusitatam quamdam
diuini amoris suavitatem: ita vt vi amoris à corpo-
re mens auulsa, Christi caros inter amplexus con-
quiescere sibi dulciter videretur. sed non fuit hu-
ius mora dulcedinis diuturna. obiecit se se mox
Christus ea ipsa specie, qua quondam in cruce fue-
rat, & ab illa suavitate, ad tristitiam suæ necis cru-
cisq. traduxit. cuius recordatione sic animus fige-
batur, vt doloris vim consequi oratione non posset.
Iniecta est subito ardens quædam cupiditas extre-
ma quæque patiendi pro Christo, sed dum varias si-
bi ipse mortes & cruciatus fingit, blande sibi visus
est à Christo moneri de cruce pendente, non magnum

aliquid facturum, si corpus tatum doloribus ac morti traderet; gratissimam autem crucem ipsi fore, si se interioribus cruciatibus ac morti dederet, quæ cum ceteris cupiditatibus, tum liberæ voluntati necem atque interitum afferret. hanc aiebat crucem tollendam in humeros: hanc alacriter in omni vita gestandam. inter hac visa somno soluitur adolescentis curarum plenus, & in earum rerum, quas viderat, cogitatione defixus. nisi utilitas fuit seculi fuga & sanctioris vita consilium. itaque in eo nunc est, ut Societatem ineat, & quibus comitem in eo itinere se adiunxit, cum ijs se perpetuo in huius vita peregrinatione coniungat. Alij non defuerunt adolescentes, quibus ut uitam nostram genusq. capesserent, pugnandum cum domesticis fuit, nec prius eorum postulationibus studijsq. factum est satis, quam perfuncti prælio palmam gloriose tulerunt.

Ducis, coniugisq. in Societatem benevolentia eadem est, quæ semper fuit, cuius si liceret officia ita litteris ut sermonibus celebrare, sexcenta huius generis scribi possent. Is proxime in templum nostrum aureos mille nummos attribuit, nec unquam in optimo benemerendi de Societate cursu eius uoluntas retardatur.

MISSIO IN VALLEM PETROSAM.

DI V I S A E sunt huius Collegij curæ exteris quoque locis, & multiplex in eam rem suscepita proœctio. Obita est in primis Petrosa Vallis, quam

quam, & Perosam incolarum uulgas appellat, quæ ut in summa earum rerum, quæ ad usus uitæ pertinent, sterilitate uersatur, ita ab animi præsidij maxime est imparata: magna est enim Catholicorum paucitas, ut significatum est alias, quam infinita promemodum hæreticorum uis obruit. Coluit hanc syluam Sacerdos noster opera ac labore semestri: & ut superiore anno summa cum utilitate factum est, ita hoc antiquissimæ curæ fuit, ceremonias ritusq. catholicos, qui hæreticorum improbitate funditus interierant, reuocare. Decreta sunt supplicationes ad ædes sacras coacti q. uicini pagi, ex quibus pōpæ celebritas conflaretur. quo ab spectaculo dolebant hæreticorum oculi, cum Catholicorum hilariores essent. Sed in hoc pomparum apparatu, quando ijs, quæ proxime scripsimus, affinia sunt, nihil est causæ, cur his litteris nimij esse uelimus. Institutus est per hanc occasionem inter Catholicos cœtus quidam, ex ijs q. i rudibus amictis iccis se ipsi diuerberat. hos non ferunt hæretici, hos sibi diligunt, ut irridéant, eosque obvolutos quosdam dæmones dicunt; minas intentant, stomachum q. in eos omnem erumpunt - sed quò magis furunt, cò plus animi Catholicis afferunt. tolluntur in cælum cruces in iprorum oculis, & supplicantium agmina duplicentur. teruntur limina sacrarum ædium, præsertim quas hæreticorum occupabat impietas: & dum illi sua uenena diffundunt, hi modulatis uocibus pro ualuis psallunt, Deoq. & templorum Tutelaribus, laudes dicunt. quibus illi aliquando cantibus exci-

tati currere confessim ad valvas, & curiose quid rei
esset, inspicere. At Catholicorum intrepida cohors
sacros aditus, suorū vnde obiectu corporū obsi-
dere, et Tutelaris iterans nomen, complere vocibus
vniuersa. quarum supplicationum vsu, & Catholicorum
incitata pietas est, & hæreticorum superbia
paulisper repressa. qui ne his occurrant agminibus
longe prouident. & si forte occurrerint, aut conuer-
sis repente vestigij se se abdunt, aut auersis oculis
totum agmen cito præteruolant. Non minus eis do-
loris inussit aliud ad ædem B. Thomæ Cantuariensis
prodeuntium agmen. sita est hæc ædes in edito mon-
te, quem propter loci religionem, & Beati illius
qui templo præsidet, patrocinium, frequenter olim
incolæ celebrabant sed omnis ille religionis cultus,
hæreticorum hodie moribus obsoleuit; Catholiciq.
vt eam consuetudinem reuocarent, supplicantum fa-
cta manu, illuc ascendere ad colendas sacroruū cinerū
qua supersunt reliquias, constituerunt: ibi. excita-
ta ara rem diuinam quam maximo apparatu pera-
gi voluerunt. has partes Sacerdos noster egit, &
inter sacrificandum ad inflammmandam pietatem
multitudinis verba fecit. nec absuit pompa, sclo-
porum festina displosio, quibus dum salutaris mōn-
strabatur hostia ritu institutoq. catholico, vallis
vniuersa percrepuit. ea re terror est injectus hæreti-
cis, ne locum natura munitum præsidij causa-
sibi nostri deligerent. Dimissis in sua tecta Catho-
licis, vt qui animos iam curassent, corpora quoque
vitæsq. curarent, nihil fuit antiquius, quam vt in-
eam

eam adem celeriter se referrent, ubi vespertinorum precum cantu, reliquus exactus est dies. Hos Sacerdotis nostri conatus Ducis quoque auctoritas adiuuabat. is ad eas valles, quae omnium maxime corruptissimae erat, litteras dedit, quarum beneficio facilis nobis ad hereticos aditus patuit. passi sunt interposito Ducis nutu sua nos in templo penetrare, pulpita sedesq. capere, et unde sua ipsi venena sim plicum animis instillabant, inde Catholicæ veritatis semen spargere, ingenti ministrorum rabie, à quibus omnis hæc alitur pestilentia. his concionum studijs ac laboribus consecuta Societas est, non modo ut Catholicæ in suscepta Ecclesiæ fide permanerint, sed etiam, qui hæresibus tenebantur impliciti, nutrare in suis ipsi dogmatibus ac titubare iam cœperint. Quod si nō desint sana doctrinae magistri, quibus ut instituerunt, continenter operam dent; perleui momento videantur impelli posse ad comprehendendam tenendamq. veritatem.

MISSIO IN VALLEM LVCERNensem.

HANC nostri Vallem iam inde à Pio IV. summo Pont. prius, quam Taurini Collegij constitutæ res essent, non minus vita integritate, quam adiumento doctrinæ colendam suscepérunt. ij se perpetuo Waldensum hereticorum conatibus opposuerunt, et ne eorum venena atque pernicies latius serperent, prospexerunt. Est in hac Valle op pidum

pidum satis amplum Bricherarchij nomine, cum ad redintegrandam hereticorum fidem, tum ad Catholicorum mores informandos, per opportunum: propterea quod magni vnde conuentus fiunt. Sæpe eò Sacerdotes de Societate sunt missi, & proxima Quadragesima concionator, qui multa publice priuatumq. correxit. Lanienæ quæ superioribus annis per eosdem ieunij dies assidue patebat, eo auctore clausa est: Cautumq. publico edicto, ne carnes in posterum vulgo veneant, neque hereticis viatoribus apponantur. Aleatoria pagelliæ, quibus augustiorum quoque dierum sanctitas fædabatur, voce præconis exterminatæ, sublatæq. Chorea ac saltationes, vnde graues inimicitiae ac cedes, & alia eiusmodi ori: bantur incommoda. Pulsus est etiam ex oppido pestilens scortum, quod ad idem, quo ruebat extitum, multos secum è nobilitate trahebat, & ad extirpandam radicitus heresim, prouisum ne nutribus hereticis, id quod passim fiebat, Catholicorum traderentur infantes. odij quoque saeuisq. iris, non tam priuatis colloquijs, quam concionibus obuiam itum. Homini in extrema ætate versanti vnicus interceptus est filius, cuius opere manuq. vitam suam sustentabat. is cū præter animam aliud nihil habereb (nam quod paululum pecuniae forte superfuit, id totū in persequenda filij nec consumperat) septimum iam annū inimici sanguinem sitiens, cœlestis mensæ dapibus abslinebat: sed cum concioni sacerdotis nostri, quā de condonandis habebat iniurijs, interfuisset, in pœnitentiam versus, lacrimas fudit, & ex ani-

mo deletis odijs, nihil habuit prius, quam per confes-
sionis communionisq. mysteria cum Deo quoque
rediret in gratiam. Iam horum mysteriorum nec in-
frequens, nec inutilis usus fuit, quæ ut utilius etiā
ab hominibus obeantur, prodigijs nonnunquā & mi-
raculis admonentur. Quidā cum peccatum vomere,
quod conceperat, præ pudore non posset, eo in Confes-
sione præterito, contaminatissimo ore & spiritu su-
mēre cælestes dapes nō dubitauit: sed dum leuissimā
hostiā illapsam in stomachū putat, sensit ponderosum
veluti plumbū per fauces pectusq. delapsum, quod
intolerabili onere cor opprimens enervabat: quem do-
lorem mox etiā ardēns febris excepit, et tormenta
crescebant in corpore, dum animus resipiceret re-
sipuit tandem, & à nostris excitatus ad spē, peccata
sua accurata confessione detexit: quibus animo libe-
rato pōderibus, suo quoq. pōdere leuatū est corpus.

Piaschij, quod Pedemontanum oppidum est, &
hæreticorū labē respersum, non pauci ad veræ since-
ræq. fidei cultū vocati sunt; et in his Calvinistī duo-
decim: confirmatiq. sere quinquaginta, in quibus ger-
manæ religionis stabilitas vacillabat. Princeps vir
affiduo ministrorū scelere ad deserendam fidem inci-
tatus, cū maxime se frangere, & ad eos inclinare vi-
debatur, tū fortissime nostrorū cōcionibus animatus
in sententia persistare cœpit; ut etiam cū Calvinistis
certamen et subitos cōgressus optarit, ut eorū men-
dacia et fictas fabulas redargueret. Is nunc nostris hō-
minib. valde fuit, et illorū se nonnunquā custodem
prositetur: con.itēq. in iūnere se adiungere, et domū
usque

usque pro se qui eos voluit. quæ tanta humanitas cū recusaretur à nostris; Sinite, inquit, vobiscum veniam. plus vobis proderit hæc societas, quā putatis. Quippe semel atque iterum, vt idem mox indicavit, in nostrorum cædem hæretici conspirarant. Et quoniam eos inter agitur, qui omnem funditus ceremoniam tollunt, constituta ex eo hominum genere sodalitas est, qui præcipuo quodam studio sacrosancta Eucharistia mysteria venerentur & colant. dederunt in eam nomina centum & quinquaginta, quorum in ea tuenda religione contentio, vt mire afficit tenetq. Catholicos, ita fodicat & cruentat hæreticos. Hic iucundum spæctaculum fuit, Catholicorum qui pauci numerantur, alacritas, in locupletandis augendisq. rebus sacris. Conferebat quisque aliquid in Sacerdotis amictum, & supellestilem sacram. hic vestem linteum, ille pecuniam dabat, & alijs alia pro cuiusque opibus vel pietate; vt ad infamiam prope Calvinistas adigerent: tantum illis ex ea re dolorem inurebant. Sed vt commodi inducti sunt mores, sic improbi vitijsq. sublati. Quinta hebdomadæ maxima feria, quæ præcipua vniuersæ Ecclesiæ religione consecrata est, in piorum hominum sodalitio opipara apparabatur sub vesperam cana, & quidem in æde sacra, quò suos conuentus habere soliti sunt, studio, vt aiebant, imitandi Christi, et Apostolici cætus: quem morem, vt meliore potius imitatione Sacerdos nosler, quam contentione corrigeret, eò prima fere nocte se contulit, habitaq. pro diei celebritate cohortatione, duodecim viris, quos antea

con-

confessione lustrarat, stratus humi, omni animi demissione pedes abluit. Quo imitationis genere delectati, displicere primum sibi ipsi sodales, qui onerando dapibus ventre se Christum crederent imitari; deinde errorem detestari suum, & meliora in posterum policeri. Mitigata est quoque irarum acerbitas, & fraternalis odijs finis impositus. Tres fratres alius alio ferocior, cum se se diuturnis dissensionibus dissidijsq. conficerent, & rem famam, vitamq. laederent, adiretq. senex Pater suum quoque discriminem, quod vni filiorum fauere magis, quam ceteris videretur; fecerunt nostri, ut tam diuturnae dissensiones non mutua fratribus, id quod maxime formidabatur, internecione; sed concordiae, id quod minime sperabatur, reconciliatione dijudicatae sint. Nec vero huic tantum oppido consulendum sibi Pater existimauit, sed asperos saepe montes, quo eadem heresum contagio peruersit, spe præda maioris ascendit: nec è duris illis asperisq. saxetis reuertit inanis. nam non ita multo post, duo inde descendedunt heretici, ut cum Archiepiscopo Taurinensi agerent de reconciliatione gratia suo & Ecclesiae. Quibus tum Deus oculos ad aspectum veritatis aperuit, cum Patris concionibus darent operam. narrabantq. in ijs locis alios esse complures, qui eundem ad Ecclesiā redditum exoptarent: ut videatur sparsum diuini Verbi semen, etiam si subito aut nihil aut minimum reddat, plurimum tamen suo tempore redditurum. Alio quodam in oppido, ubi sino legibus, sine Sacerdote, sine ceremonia, ac denique ferarum

ferarum instar viuebatur (sunt enim incolarum ple
riique à Catholica pietate remoti) ab eodem Patre
incredibili Catholicorum tum voluptate, tum bono fa
cto sunt verba: prædicabant deserti illi homines &
oues sine pastore mirificam Dei erga se prouiden
tiam, qui Patrem illuc misisset è nostris, à quo diui
num verbum sicutientes acciperent: aiebantq. ad mul
tos menses sibi satis fore, è Patris ore quod sume
rent. Curatum est apud Magistratum, quamquam
is quoque aberrat à fide, ut idoneum Catholicis Sa
cerdoti stipendium, à quo Christi grec curetur, assi
gnet: cumq. à quibusdam hæreticis recens natos
pueros non lustrari baptismate cognouisset, propte
re a quod omnem salutis rationem in una parentum
fide positim crederent; fecit vi publice de ipsius ba
ptismi vi ac necessitate differeret, non sine concionis
enolumento: statim enim accessit hæreticus, patrem
enixe rogans, filiolum ut ablueret, cui morem Pa
ter subito gessit, tum quod parentis fidei constan
tieq. diffideret, tum quod eas rite partes qui ageret,
nullus esset.

Raconisium Pedemontanum oppidum est, cui
Princeps quidam præst Sabaudie Ducis propinquus,
cum opibus, tun natalibus clarus. is propenso erga
nos animo studioq. cum sit, et una cum coniuge pie
tati quam qui maxime deditus, Sacerdotem hoc ac
cinit è nostris; qui suæ ditionis oppida pagosq. cursa
ret; quia usus opportunitate, cu in assidua diuinâ
rum rerum ac Mysteriorum tractatione versatus
est, tum alia præbuit populis documenta virtutum.

Pa-

Pater postea Raconisio aliud migravit in oppidum,
ut nobiles in heresim lapsos viros ad sanam fidem
mentemq. reduceret, id quod ei contigit ex senten-
tia. Vnius autem conuersio matronæ præcipua om-
nes iucunditate compleuit: adeo ut concione dimissa
matronæ relique, quotquot aderant, in eius ruen-
tes amplexum, occultare conceptū gaudium volu-
ptatemq. non possent. Quid multa? his alijisque rebus
ita se Pater Dynastæ illi probauit, ut is tanto
magis suum de Societate iudicium, & vero
etiam benevolentiam studiumq. confir-
mans decreuerit, id quod non se-
mel antea secum ipse tracta-
rat, Collegium Raco-
nisii locare.



PROVINCIA LVSITANIAE.



EGVN^T In Lusitania de nostris quadringenti amplius & nonaginta quinq. In Olyssipponensi Professo rum Domo septem & sexaginta. Quinquaginta circiter in Collegio. Conimbricæ centum et octoginta duo. Eboræ sex et nonaginta. In Portuensi Collegio tredecim. In Bracharensi triginta. In Brigantino tres & viginti. Tre decim in Funchalensi. Quindecim in Angrensi. Angolæ denique sex. Mortui sunt nouem. Sex & vi ginti recepti.

DOMVS OLYSIP PONENSIS.

EMagna officiorum frequentia, quibus animos tuetur hæc Domus, hæc cum carissimis fratribus communicanda publice videbantur. Excepti sunt hoc anno salutari fonte viginti, ea pompa apparatuq. quo deçuit. quotidieq. tum recentibus in æde nostra Christianis, tum ijs, qui præparantur ad fontem Catechismus exponitur. E sacramentorū vñ, quotidianoq. nostrorum congressu multiplex domi forisq. ad animos opportunitas redit. nam & qui inimi-

inimicorum sanguinem sitiebant, vicerunt animum, ne quid contra Christianam pietatem in inimicos tentarent. & qui minus se caste pudiceq. gerebant, se se ad pudorem, & verecundiam retulerunt. Argentum etiam, quod saluo officio retineri non poterat, suum cuique redditum est. quatuor aurorū millia vñus idemq. reddidit: contra vero de suo multi multa, & ad collocandas filias nubiles indotatas, & ad eximendos e tenebris vincitos, elargiti sunt. Puellæ collocatae sunt decem: vincti totidem e custodijs exempti: feminæq. multæ, quas domi inclusas continebat inopia, ut nec prodire in publicum auderent, nec diuinis interessè mysterijs; necessaria sunt ueste donatae, ut iam ora hominum non erubescant. Atque ut perpetuum speremus hunc frumentum, imo ut speremus uberiorem, faciunt hominum studia in ædis opere promouendo: sunt enim quaternos, quaternosue conducant suis sumptibus fabros, dum fastigium impositum cernant: ita ut propediem habituri uideamus, ubi nostrorum omnis se se explicet & dilatet industria. Sed inter cetera, quæ in laudem diuini nominis redundarunt, publica fuit hominum religio, sexta quaque feria anniversariæ quadragesimæ se cedentium in usitata sane res, tum propter eorum, qui ad hoc pietatis genus concurrebant, multitudinem (sex enim millia conuenire solita perhibentur) tum propter genus ipsum hominum, nobile & delicij magis quam asperitati verberum assuetum; cum & dynastæ uiri q. principes e prima Lusitanie nobilitate flagra tractarint. Cogebatur

mutatus vñsciscendi mentem abiecit , conceptamq.
iam animo maculam & confessione eluit,& ingenti
animi cruciatu. deinde ijs, qui in insidijs erant abire
iussis, acceptisq. ab eo flagris, cui peccata aperuerat,
suis verberibus se n. uelatauit. postea cū inimico re-
stitutus in gratiā, aliāq. ex eo tempore uitam orsus
numquam aut Sacramentorū usum, aut uerberandi
consuetudinem intermisit. Alius cū ad syrtes hære-
sum adhæresceret, ijsdē audiendis cōcionibus, uerita-
tis lumen aspexit: Iuuenesq. circiter quadraginta, Hi-
berni omnes, cum multis tenerentur erroribus, eadē
nostrorum opera, & eriores posuerunt omnes, & sa-
nis sunt imbuti doctrinis. Mitto repressas hominum
cædes, & irarum incendia tēperata. mitto suscepas
procurationes egentium , & nostrorum nutu suum
cuique redditum . quæ quidem omnia nec mino-
ra fuere quam alibi, nec pauciora. Venio ad ea , quæ
nostris in Brasiliā nauigatiibus acciderunt: nec enim
alienum est, quoniam Collegium hoc, cōmune quod-
dam est eorū, qui in transmarinas prouincias mittun-
tur hospitium; ea de re hoc loco perscribere. Octo de
Societate extremo Ianuario portu soluerunt. qui na-
ui Belgica bidui iam nauigatione prouelti, in pirati-
cos Gallorum myoparones inciderūt. hi nauim one-
variam facili negotio expugnari posse rati, lituorū
subarumq. sono perstrepentes crebris eam bombar-
darum scloporumq. itib⁹ adoriuntur . nautæ ve-
ttoresq. Sacerdotis nostri suasu (quatuor autē inter
eos Sacerdotes de nostris erant) priusquam venire-
tur ad pugnam , Deum sibi confessione placandum
existimarent. interim pugna ipsa cōmittitur: cumq.

In aestu certaminis Sacerdos noster sacræ Virginis tabulam, ut pugnantium animos confirmaret, de sublimi loco præferret, inopinato sclopi ictu ad terram sternitur. quod uulnus, quamquam minime mortiferum uidebatur, tamen medicamentorum, medicorumq. penuria paucis diebus interiit. Cecidit cū Patri Nauarchus, & ex propugnatoribus alijs quidam; quorum occasu cum ceterorum paucitas nequaquam satis instructa telis, sibi ipsa diffideret, videretq. longe superiorem viribus aduersarium; postulatis missionis liberæ condicionibus, hōsti se dedit: eas condiciones Gallus accepit, sed Sacerdotem nostrum cum Lusitanis aliquot simul obsidem, dum onerariam nauim inuaderet, postulauit: eurnq. acceptum scelestissimus Archipirata & Catholici nominis inimicus, undecim dierum siti fameq. prope necauit. ac dum pecuniam audiē queritat, omnesq. patris sinus perscrutatur & excutit, æneam forte crucem de collo suspensam, sanctorum ornatā refertamq. reliquij superbus arripit, & fædissimis commaculatam sputis una cum reliquij ipsis in mare proiecit. Nihilo clementius cum ijs, qui in oneraria remanserant, actum est: quia potiti piratæ, cubiculo nostros includunt cum reliquis vectoribus perangusto, eosq. tum inusitata torquent inedia, tum necem minitantur in horas, uestes diripiunt, contumelijs ac conuicijs afficiunt, & vt eos egit libido, sic tractant. Numquam illi propius abesse morte suspiciati sunt, quam cum ex eo extracti carcere ad Archipiratam hæreticum sunt perducti. stabat ille

ille toruo minaciq. vultu, gemino ante se pugione, non quidem in *vagina* recondito, sed tamquam ad inferendam necem educto ac parato; iubetq. nostrorum diloricari tunicas, tamquam praesentes gladios in nudis corporibus defixurus. sed maior fuit aurisitis, quam cruoris ac cædis. quo curiose peruestigato, cum nihil speciosi, aut quod oculos caperet, reperiret; in inferius tabulatum nostros amandat. Cum se nostri reciperent, neque Sacerdos ille, quem vulneratum diximus, mouere se loco posset languore confectus, frater unus supplex pirata fuit, sibi ut liceret deplorato iam ægro parumper adesse. tu ille qua erat immanitate ac barbarie, Quid tibi, inquit, de ægroto curæ? cumq. eiusdem eum esse familiæ atque ordinis mox sensisset; in hominem irruit & pugnis plagisq. concidit; nostræq. Societatis homines maledictis conuicijsq. proscindens, & quicquid librorum & commentariorum apud eos erat, ei aculari iubens in mare. Tot eo die nostri periculis ac terroribus conflictati, et si numquam se ex impiorum sperabant manibus euasuros; singulari tamen Dei beneficio factum est, ut decimo septimo tandem die, omnibus spoliati rebus ac pene nudi in Gallicæ littus à piratis eiecti relictiq. sint. inde se Olyssiponem pedibus retulerunt, ubi cum ceteris expeditiōnis Brasilicae Socijs, idoneæ navigationis tempus expectant. & quidem eodem, quo antea soluerant, animo fortiter ferendi pro Christo, si quæ alia incurvant aduersas; spe certissima confirmati, quemcunque casum diuina fors ferat, sibi non defuturam aut

præclaræ patientiæ segetem, aut messeni vberem anis
marum:

CONIMBRICENSE COLLEGIVM.

CONIMBRICÆ quoque ut in ceteris locis nulla magis in re Societas, quam in animalium procuratione versatur. Exercet discipulorū ingenia non in doctrinarum modo studijs; sed etiam virtutum. itaque quod necesse erat, tulu laboris frumentum; aucta fratribus duodeviginti, frater ea lucra quæ ex hac ipsa Academia ceteræ fecere familiæ. In adhibendis reliquis animalium præfidjjs par frumentus utilitatis. E reconciliatiis hominum voluntatis ac depositis offensionibus, quæ ita hic, ut etiam in Portuenst, Brigantino, ceterisq. Collegijs plurimæ grauesq. fuerunt, ea fuit non omnino vulgaris; quod cum quidam annum iam quintum & vigesimum perniciem strueret inimicis; tandem Sacerdotiis nostri colloquio destitit de sententia. & id ipsum à quibusdam propinquis extortum est; qui odij inter se veteribus dissidebant. Sed foris lites sunt compositæ non minores; dum enim de more nostri per oppida pagosq. cursitant, placarunt fratres inter se quinque, qui de paternis iamdudum bonis turpi iudicio conflictantes, in apertas iam contumelias eruperat, multisq. acceptis utrinque vulneribus, pertinaciter hanc litem, graui riti familiaris in commodo, nec animalium minore persequebantur. Aliud vero oppidum mutuis simultatibus odijq. distra-

distractum ac diuisum in partes, patris concione perfectum est, ut enulsi ex omnium animis irarum fibris, iterum se ad pacem ociumq. conuerterit. quo in oppido suam pater operam frumentose locauit: mirus enim ad luenda rite peccata concursus fuit, ita ut cum nocturnis matutinisq. temporibus viros, diurnis vero mulieres audiret, omnium tamen studijs obsequi voluntatiq. non posset. Eodem in oppido cum pomeridianis horis ludus agitandis tauris appararetur, sacerdos ad Catechismum pro concione populum inuitauit, tantaq. ad eum omisis ludis multitudo conuenit, ut templum non admitteret vniuersam. In Lamicensi diocesi templum est Dei matri dicatum, quod propter loci religionem ex vniuersa Hispania alijsq. prouincijs plurimi confluunt. hic magnam anni partem sacerdos noster obeundis disciplinæ nostre & muneribus, insigni cum utilitate versatus est, plurimos à sceleribus auocauit, & in his latronem genere illum quidem non ignobili, sed latrocinij rapinisq. nobiliorem: qui mutato prorsus animo, non solum præterita detesta' us est malefacta, sed ut sua cuique bona quotidianis parta rapinis aliquando restituat, honestos sibi quæstus & confiendæ pecuniaæ artes instituit.

EBORENSE COLLEGIVM.

EBORÆ plurimis grauibusq. morbis hoc anno laboratum est. extincti sunt quinque, si tamen eos mors extinguit, quos ad præmium immor talitatis admittit. morbum autem, mutuae caritatis abundantia contraxit, dum in ægrotos officiosus quisque vult esse. tentata est primum Sacerdotis nouitij valetudo, dum publico valetudinario ministrat. cuius postea in ceteros, qui ei aderant, est deriuata pernicies. oblectabat tamen mirifice fratrum ardor, qui se committere nō dubitabant periculo, vt ægrotorum pericula nō negligeret: importunisq. à Recto re precibus flagitabant, sibi vt ægros curandi par tes tráderet; et susceptas agebant non minore quam postulauerant laude. Edidit & gymnasium suas hoc anno fruges tempestuas ac lata: constatq. auditoribus mille circiter quadringentis, quorum vir tutis scientiæq. cupiditas vna cum æstatibus adolescit. triginta se se Deo in varijs cœnobiorum ordinibus deuouerunt: ex quibus quidam cum ciue nobili Eborensi, vt eos, qui in maxima rerum penuria degrent, subleuaret; ementitus, ne agnoscí posset, ornatum, nocturnis horis miserorum aedes solitus est con cursare, eisq. quibuscunque rebus poterat, opem ferre: vt mirum videri non debeat, tam alte postea spe Etare potuisse; qui in adipiscenda virtute hæc iam iecerat fundamenta. Aemulantur discipulorum ingenia mores commodos magistrorum, & vt voce, doctri-

doctrinis, sic exemplo, virtutibus imbuuntur. Magister, philosophiae lustrato curriculo, ut ad misericordiam suos discipulos institueret, quos ad indagandam iam veritatem erudierat, prandium in publicum carcerem cum domesticis auditoribus comportauit. cuius exemplum alium item philosophiae magistrum ad similem laudem cum suis discipulis excitauit. qua res ut vulgo est probata vehementer, ita per eos dies, erant enim Bacchanalia, frenum quoddam iniecit publicæ hominum licentia, ne se gererent insolentius. Reliquæ ciuitati, quæ par est diligentia consultum est. Tres sunt domi, forisq. constitutaæ sodalitates, in quas complures etiam de nobilibus se dicarunt. Ad Transtaganae regionis oppida sacerdotes item destinati sunt octo: ex quibus tres per Aduentus Dominici ferias, duo per quadragesimam Ducis Brigantini rogatu, Villanicosam profecti, cum multorum salute, impositas sibi à Societate partes sustinuerunt, multosq. ex aulicis ad pietatis studium inflamarunt. Nec magna laude caruit intentus pietatis officijs Sacerdotis exemplum. cunct enim ad eos qui carcere inclusi erant, magna cibariorum deferenda vis eset, aulici ipsi, Sacerdote nostro duce fratreq. laico, tamquam operari aliqui, medio oppido panes, & commeatum in carcerem conuehebant: nec descendere erubescabant ad vilia abiecta. q. munera, qui splendorem nobilitatis & generis, posteriorem Christo ducere iam didicerant. spectaculum multitudo suspexit, & nouò pompæ generè Dux ipse vehementer est captus: Is ut est pietatis perstü-

perstudiosus & amans, publicæ verberationi, qua
in eo oppido habebatur, ut sua præsentia ceteros
inuitaret, intererat. Vsurpabatur ea religio non mi-
niore quam Conimbricæ ceterisq. quos dixi, locis,
celebritate. Ex ijs autem, qui hanc verberandi con-
suetudinem frequentarunt, adolescens genere clarus
copiosa quadam vi numinis excitatus, parentibus
humanisq. rebus valere iussis, seueriorem statuit
vniendi rationem inire, & voluntarijs se macerare
supplicij. itaque qui nitido usus est antea cultu &
eleganti, hunc detraxit, & permutato decoris habi-
tu, pannosus prodire cœpit. quo facto pater exca-
duit, & miscens imperio preces, deducere ab ea men-
te filium omni ope conatur: sed filij constantia reie-
ctus, a minis ad suppicia descendit: nec plus hac vir-
rium habuere quam illæ: semper sui similis inuentus
est filius, & quam semel ingressus est vitam, in ea
vel inuito patre constantissime perseverat. In duo-
bus alijs oppidis improbis sublati sunt mores in alte-
ro ludi quidam per Bacchanalia dabantur, vbi per-
sonati homines Pharisæorum scribarumq. similitu-
dinem referentes, oberrantesq. vicos & plateas,
grauiissimis contumelij, qui à Iudeis originem duce-
rent, lacerabant. In altero vero sacrosanctæ heb-
domadæ ferijs exhibebatur populo de Christi nece
dialogus, non tam ad eliciendas multitudinis lacri-
mas, quam ad eorum Christianorum dedecus, qui
conuicijs ac probris toto dialogo petebantur. qua-
res quam multa suscitaret odia rixasq. non est diffi-
cile existimare. dederunt operam nostri quemadmo-
dum.

dum in superiore oppido fecerant, ut tam pernicio-
sa consuetudo, quā contrā magistratus, Brigantiniq;
Ducis imperiū, vi vulgus armisq; defenderat, tollere
tur; id quod partim salutaris verberationis exēp;
partim concionibus publicisq; supplicationibus, quā
singulis hebdomadis habebantur, consequunti sunt:

BRACHARENSE ET BRIGANTINUM.

IN Bracharenſi Collegio audiendis dimitteñdisq;
peccatis, optime, ut solet, animorum ſaluti conſi-
litur. Quidam dum conceptum iam diu virus ſuorū
ſcelerum vniuersum non ſemel conatur eiſcere, ſen-
ſit ſibi à Diabolo includi fauces arcte q; comprimi-
tumq; eius rei cauſa ad Sacerdotem noſtrum acceſſi-
ſet, eodemq; modo pressis à Dæmone fauicibus à ſalu-
tari conſilio deterreretur; Patris noſtri in obitū per-
fectum eſt, ut deuicto fortiter hoste, cōfessione pro-
deret, quā celauerat. Alius eadē animi curatione im-
portunarum cogitationum incurſus, quas hostis in-
uidus ſuggerebat, euicit. ſapius hic ad ſui necem ſti-
mulatus eſt, cūq; hostiles impetus increbrescerent,
reſtem de trabe ſuſpenđerat, ut una cum uita mo-
leſtias tāduri certaminis terminaret. ſed diuina bo-
nitas eū qui ſeſe deſeruerat, nō deſeruit, et vires in-
firmas præſidijs cæleſtib; roborauit. ingēs repente
exauditus eſt ſonitus cuiusdā inſtar exercitus tuba-
rū lituorūq; ſtrepitū pérsonātis. quē mox tantus ſub-
ſequutus eſt turbo, ut fores totis cardinibus euerſat
huc illucq; diſtulerit. quibus ille rebus exteritus, cū
poſtridie ueniffet ad nos, cōfessione animū explanit.

ac deinceps molestijs illis importunisque cogitationibus reuinatus, tranquilla omnia & pacati expertus est.

IN BRIGANTINO Collegio cum propter grauitatem astii cali varijs nostri quotannis morbis, ex quibus ægre emergerent, tentarentur; commodissimum risum est, astius mensibus urbe cedere. itaque cuiusdam loci salubritatem sequuti, multa cum incolarum salute salubres quoque astiates peragunt. nam à ciuibus in rusticos visitatis translati officijs, melius horum & animos curant, & ad pietatem informant. De discipulorum probitate domandiq. corporis studio, eadem quæ de alijs Collegijs, commemorari possunt. Instituta est inter eos Soliditas Dei matris, ut quod maioribus probitatis instrumentis abundant, eò se ipse quotidie meliores reddant.

FVNCHALENSE ET RÉLIQVA Collegia.

IN FVNCHALENSI Collegio res Catechismi valde procedit, ea auditorum frequētia, ut præter consuetudinem tradendus fuerit & suggestio. furent cœptis honestæ matronæ, quarum nonnullæ pueros inopes quo magis allicerent, necessaria ueste donayunt, & suis sumptibus alendos in literis suscepereunt.

ANGRAE quamquam Societatem nostram ciues optimi maxima semper bencuolētia complexi sunt,

sunt; nunc tamen postquam bellici quiete tumul-
tus, ardentiore quam vñquam studio atque amore
prosequuntur. itaque simul ac decem è nostris Oly-
sippone profecti eum portum tenuerunt, eximia ho-
minum benevolentia & celebritate, vt pluribus
scriptum est alias, excepti sunt. plane noster est po-
pulus, nostra nobilitas; vt præter alia, ipsa quoque
hominum ad nos frequentia declarat. Collegium
quod belli tempore militum fuerat domiciliū, quo-
niā male materialatum & ruinosum erat, refe-
ctum est denuo, & ad tutam habitationem concin-
natum: renouatum etiam domesticum instrumen-
tum, autq. sacrum præstanti liberalitate ciuium.
Cui quidē liberalitati nostris vicissim officijs, quanta
potest gratia refertur, si susceptumq. s̄aþe à nostris est
pudicitiae muliebris patrocinium, eiq. non modo
consilio atque opera, verum etiam restipeq. subuen-
tum. Sexcenta scribi possint eiusmodi, nisi in tanta
rerū similitudine hæc vel legere vel audire tñdeat.
Nauatur & ciuib⁹ opera cum animorum tum for-
tunarum bono; nam cum bello proximo multorum
diriperetur opes, impuneq. distraherentur, ij ad quos
illæ peruenient, nostrorum suauis suas cuique resti-
tuunt. restitutaq. sunt præter cetera, vasa aliquot ar-
gentea magni ponderis, et multa aureorum millia. Pu-
blicæ etiā tabule, quibus regij ærarij rationes conti-
nebantur, magno publicæ rei detrimento à nefarijs
suppressæ, sunt proditæ, regijsq. Quæstoribus tra-
ditæ. In milites sua quoque conferuntur officia.
cluuntur eorum animi sacramentis, & è periculis
eximun-

eximuntur. Miles cu n templum peteret, vt de mo-
re sacris adesset, à co nitibus auocatur ad ludum hic
cum pecunias amitteret, sibi suisq. procreatoribus
mala omnia precatur; nec tamen ab alea, spe recu-
perandi quod perdidit, auelli poterat. sed cum
ea iterum male cederet, infernis sese deuouet fu-
rijs, & Dæmones vt se rapiant infelicem, despera-
tis clamoribus inuocat. An, inquit, auditis an teme-
re verba iacto. & præstigijs deceptus inanibus, Dæ-
mones cum re vera non sint, esse credo? mira res su-
bito deiectus in terram lingue & aurium vsu pri-
uatur: cumq. dies aliquot iacuisset vt mortuus, ad
valetudinarium perductus, instar furiosi canis in
eos, qui se viserent, irruerat. mutaq. erat lingua ma-
ledica, & imis demersa fauicibus agitari suo arbitra-
tu nutuq. non poterat. adit hominem unus e nostris,
nutibusq. vt diuinā misericordiam ad memoriam re-
digat, cohortatur. paruit monitis æger, & diuina
implorata clementia melior est factus. mox confir-
matis utcumque viribus, vrbis templo cum lacri-
mis circuire cœpit, & veniam pacemq. à Deo pre-
cari. nostri hominem sic instituunt, non tam ora-
tione quam scripto, quoniam nondum vis audiendi
redierat, vt ad commune omnium perfugium, cœli
terræq. reginam preces frequenter adhibeat; ita fo-
re, vt à Deo quicquid posceret, impetraret. nec inane
cōsilium fuit. sabbato enim, quem Ecclesia diem co-
lendæ Dei matri vetere instituto dicauit, ad eius
prostratus effigiem longas preces lacrimasq. fundēs,
repentina & inusitata voluptate perfusus, percipe-

re

re sibi ab ea munus aliquod videbatur. inde in aliud Dei matris facellum immigrat, & lychni pensilis oleo fauces linit. tum ad preces recurrit ardens, & in ipso precationis astu vox reddit. hic versus in Dei Deique matris laudes, beneficium acceptum praedicare, & ut se gratum memoremq. præberet, remissio militiae nuncio, B. Virginis se dicare: cuius etiam Aedis ministerio in perpetuum se addixit: tanto futurus contra Dæmones, quibus se tradiderat, tutior, quanto est eius, quod se transstulit, tutela major.

A N G O L A E sex è Societate versatur. quatuor enim in Oloandam ex Lusitania profecti, cum alijs se tribus, qui remanserant, coniunxerunt: sed paucos post dies morbo creptus est virus. itaque sex reliqui partim in Oloanda insula, quo se naues ex Lusitania, Brasiliaq. recipiunt, partim in mediterraneis castris cum Lusitanis milibus, partim etiam in Congi regna, Christi ouibus curandis inuigilant. Nec minus corporum quam animorum salus curatur. nam cum in milites, qui è Lusitania recens affuxerant, ingruere morbi cœpissent, nihil prætermisunt à nostris est, quod vel ad leuationem morbi faceret, vel ægrotorum inopie. Ex ijs aliquot morbo fameq. confecti, misereq. iacentes humi, traducebantur in aedes nostras, ubi opportuna mensa lectoq. excipiebantur, dum publicum valetudinarium, quod deducuntur, apertū est. Par animorum tutela: qnos & sacramentis a scelerum contagionibus expiarunt, & colloquij salutaribus confirmarunt. Is vero Sacerdos, qui in Congi regnum se contulit, multa in eo na-

ctus

Etus est messem, ac de animis benemerendi materia.
 sunt n. ibi Christianorū millia cōplura, sed colonorū
 penuria, tam vasta vinea prope degenerauit in syl-
 uam: pagiq. sunt aliqui, quò raro Sacerdos apparet,
 & sunt qui Sacerdotem ne viderunt quidem. Quum
 autem propter diuturnam subsidiij expectationem ē
 Lusitania complures ad Angolanum regem ex
 Aethiopibus descierunt, magno in discriminē Lusi-
 tana res fuit. Dux enim Paulus, cuius mentionem
 superiores litteræ faciebant, castra in mediterraneis
 locis habebat, centum et quinquaginta millia passuum
 à portu procul: in ijsq. milites non plus ducenti
 cum Aethiopum exiguo numero in armis erant; &
 quod caput est, deerat commeatus & bellicus appa-
 ratus. Verum aduentu classis vt nostris ardor, sic
 terror hostibus est iniectus, nō nullisq. excursionibus
 decem duodecim re pagorum fracti Principes, Lusi-
 tanisq. subiecti; & Regi ipsi metus incussus: nihil vt
 restet aliud, propitio Deo, nisi vt tandem penitus
 expugnetur, & pax sit rebus; quo commodius &
 Christi fidem amplectantur Aethiopes, & ex disci-
 plina Christiani nominis vitam singant. facit enim il-
 lorum defectio, in adultis sacro fonte lustrandis nos-
 tardiores, veritos ne, qua sunt ingenij mobilitate ac
 levitate, cum ad hostem transfugerint, in pri-
 stinas tenebras recidant modo igitur re-
 gens nati lustrantur, in ijsq. in-
 stituendis, qui proximis lu-
 stratis sunt annis, non
 inanis opera col-
 locatur.

PRO-

PROVINCIA BRASILIA.



N ERSANTUR in Brasilia de nostris centū circiter & quinquaginta. In Pernambucensi Collegio vnde uiginti. In Bayacensi duo de septuaginta. In Collegio Fluminis Ianuarij septem & viginti. Piratininga septem. In reliquis sedibus idem qui solet numerus. In Societatem recepti sunt undecim. mortui duo.

PERNAMBUCENSE COLLEGIVM.

IN Pernambucensi Collegio animorum pericula contra uini Daemonis acerrime defenduntur. Tolluntur eae, quas sequit discordias: & ingens præda de manibus quotidianis parta fraudilus extorquetur. Grauius inter duos Principes viros orta erat de Iurisdictione cōtentio, eōq. iam processerant irae, ut commune metueretur exitium: suos enim uterque sectatores habebat, & duas in partes ciuitas universa discesserat. Senatores cum otij caussa omnē lapidem frustra mouissent, ad Rectorē Collegij rem deferunt, orantq. ut ciuitati iam labenti subueniat. Pater diuina fretus ope, cum in aedes nostras discor

I des

des homines conuocasset, vicit tandem, postquam
in concilianda pace diu multumq. sudauit, vt inspe-
ctante populo dexteræ iungerentur. Sed non satis
habet callidus animarum hostis, eas modo cuniculis
oppugnare, nisi etiam sese prodat interdum, & aper-
tum cum ijs bellum gerat. Nec puduit certamen cū
imbecillo suscipere. sepe enim se puerō per visum
obculit, & vt pro escā terram ederet, imperauit.
cum puer renueret, induebat tēterrīmas formas, vt
terroribus cogeret, quem non posset imperio. corpo-
re incedebat & nudo & atro: linguam exerebat
enormem: ostentabat deformes cruentosq. dentes:
manus porrigebat aduncas ferreis cum harpagoni-
bus: ac deniq. qualis est, talem se puerō spectandum
præbebat. facilis fuit ex imbecillo victoria: puer
enim cum diu acriter restitisset, ad extremum mi-
narum magnitudine territus imperata fecit, terram
voravit, mortem incurrit. veruntamen quamquam
ignavius hostis, qui cum impari pugnam iniit, mor-
tem attulit corpori, animo certe non attulit, vt con-
fidimus: ad Collegium enim à matre deductus non
prius extremum spiritum edidit, quam confirmatus
est sacramentis. Sed quantas infraudes hoc genus
bominum versutus hostis impellat, & quanta sit in
his locis necessitas animorum, mox id ipsum vbe-
rius. nunc ex hoc Collegio quæ restant. Quoniam
igitur ea est Lusitanorum consuetudo, vt vrbibus
oppidisq. relictis, agros plerique finitos, vbi Tra-
petum saccareorum magna vis cōf. (quæ sunt regio-
nis diuitiae) celebrent ac frequentent, instituit P. V. i-
sitor,

sitator, ut quod maior animorum extet utilitas, tum in hoc, tum in Bayacensi Collegio, id quod alijs significatum est litteris; bini in singulis perpetuo versentur, qui statis anni temporibus ad ea, quæ dixi loca recurrent. votis respondet euentus: nam & multi baptismate, & multi item confessionibus expiantur. & qui cum pellicibus diu vixerant, matrimonijs societate iunguntur. Desudant in ijs Trapetibus serui tum indigeni, tum Aethiopes peregrini, quorum saluti preter nostros, non est qui consulat. Captum est ad eos adiri extremo fere anno: & iam nunc duo de nostris menstruo spatio centum amplius & sexaginta baptismo lustrarunt. Atque ut acrius nostrorum in animos studium incitetur, creditus est huius Collegij curæ, quod unum ex omnibus huius Provinciæ sedibus hac procreatione carebat, Indorum pagus è paganis ferme nongentis: ex quibus iam quadringenti ab Episcopo, sacro delibuti sunt chrismate. Cernitur vehemens in ijs Studium Christianam erga pietatem; in patres autem amor & obseruantia, & mira Catechismi cupiditas. quare ex ijs festo Archangelo Michaeli die baptizatis sunt amplius centum & viginti. Ita quantum in nostris charitas animorum, tantum eius exercendæ facultas diuinitus augetur. Missi sunt etiam duo una cum exercitu in Paraibam ad Indos Gallosq. magno militum commodo et adiumento victoriae. præibat eoru alter inter armorū strepitum cum crucifixi signo, partim militares roboras animos, partim continēs in officio.

freno erat omnibus eorū præsentia . itaque nulla inter eos iurgia , nullum insurandum , summa erat ubiq. pax : ea vero compositio morum , vt nō versari inter milites , sed inter optimos pacatosq. ciues sibi vide rentur . parta est victoria non tam humanis opibus , quā diuinis . nullū diem intermissa precatio est , non à domesticis modo , sed ne ab externis quidem : vt iam nemo miretur eos esse exitus cōsequutos , qui postea acciderunt .

BAYACENSE COLLEGIVM.

PVG N A T V R & in Bayacensi Collegio pro viribus , vt salus animis afferatur . In Societatem recepti sunt vndeциm . Baptizati nongenti & quinquaginta . redintegrata inter multos amicitiae et viginti . amplius , qui lecto & mensa à suis coniugibus abstinebant , conciliati . Vagae etiam errantesq. libidines matrimonij inclusæ limitibus . Mulier , quā nefarijs voluptatibus irretitam multos iam annos malus dæmon tenebat , cū ex graui periculo soq. morbo vocem amisisset , nec aperire Sacerdotibus peccata posset ; nutibus cum ea , sed inutiliter agebatur , dū desperata prope re , sacerdos noster de redditu cogitare cœpit ; sed Rosario B. Virginis , collo morientis inieeto , statim moritura vox rediit . tum demum confessa mulier est , & concubino , quem habebat , sacro matrimonio se iunxit . Ex hoc eodem Collegio , vt supra demonstratum est , Sacerdotes duo ad vicina frequenter prædia ex mandatis institutisq. Visitatoris ex currunt .

currūt ab his plerūque ingens præda reuehitur: vt
facile ex æquo hi duo cum alijs omnibus in animorū
causa contendant. Sexcentos ex eo quem proposui
numero, baptizarunt; & superstitiones ex Indorum
mentibus euellerunt. Alter enim iam annus agitur
cum in Cōtinēti proximā nouū inter Indos super-
stitionis genus est ortum, eò pestilentius, quod magis
Christianorū ritus ac religiones exprimit. nempe &
ipsa legū similitudine, morumq. conuenientia homi-
nibus nō sapientissimis persuadere. Diabolus possit,
mores nostros nihil ab eorum moribus discrepare;
si quid tamen discrepant, aberrare nostros à verita-
te. Creant summum inter se sacrorum Antistitem,
vt nos Pontificem Maximum consecrant Episcopos
& Sacerdotes. peccatorum confessiones instituant.
& quod valde mirere, vt consulant iuuētuti, Gym-
nasia gratis habēt exposita more institutoq. nostro.
Missarum sacrificia peragunt: & è minutis globulis
coronas necunt ad precēs. vtuntur pro cymbalis
æreq. campano, cucurbitis. libros habent è cortice
tabulise confectos, occultis notis litterisq. distin-
ctos, quos accipere dicuntur à Dæmonc. putantur
autem tum se perfecte adipiscendæ virtutis ac sa-
litatis rationē tenere, cum ad insaniam redigun-
tur. ebibunt succum herbae cuiusdam, quam Indus
Petima dicit, ingentium virium immoderatiq. calo-
ris. quo potu repente concidunt semiuini, totisq. ar-
tibus contremiscunt: ora torquent obsecane, et exser-
ta turpiter lingua, tamquam Lymphati se iactant, to-
toq. corpore hunc se versant. labijs loquuntur

immotis intra se se, & ea signa edunt, ut non obscure conicias, quis tantorum sit artifex motuum. ubi his agitationibus quies ac defatigatio successit, tum demum abluuntur aquis et sancti fiunt: et quod quis horribiliora signa prodiderit, eò plus sanctitatis putatur adeptus. Ad hanc vel superstitionem uel amentiam adiungitur illa non n. inus ridicula. Aiunt suos huic maiores ad uehēdos esse nauigio, ab ijsq. se è miserrima seruitute in optatæ libertatis dulcedinem vindicandos: Lusitanos vero ad eorum aduentū tum demum funditus interituros. quod si qui ex ijs sint futuri superstites, eos vel in pisces, vel in sues, aut similes in bestias iri conuersum. Quibus rebus qui fidem habuerit, salus; qui secus, ferarum laniatus vobucrumq. promittitur. Alter hic error à summo illo sacrorum Antistite, quē Papam vocant. is concionatores legat ad Indos, qui cum Lusitanis vivunt: ab ijsq. supersticio latissime propagatur. Quapropter omnes tum relictis Lusitanorum sedibus anglabant: compluresq. combustis domibus Lusitanicis, vastatis agris, æquatisq. solo Trapetibus, & multis Lusitanis crudeliter interfectis, velut immancæ feræ per sylvas errabant. quid enim parcerent Lusitanis, qui suos metu natos, ne fugæ impedimento essent, vel viuos defodiebant humi, vel barbarorum ritu necabant? Nostris sedandis his tumultibus strenuam dederunt operam, in eoq. etiamnum toti sunt, ut è diaboli laqueis animos exuant, & cum à Lusitanorum cæde, tum à meditata fuga multos auertant. Videre licuit in ea

ea procella ex Lusitanis alios profusis lacrimis gratias agere, alios obuiam gratulabundos exire, alios deniq. quoru[m] res nondum erat in tuto, nos[tr]os vt sibi adessent, summis precibus obsecrare. Irreperat ea quoque pestis in vnu[m] e pagis Indicis, quos curamus. aberat eo tempore eoru[m] custos Pater, quorum solitudini serpēs insidiatus antiquus, memor quantā ex nostris præda iacturam sepe fecisset, suo veneno fere infecerat vniuersos. Quod forsitan diuina permisū est prouidētia, quò meliores Indi et sanctiores evaderent. erexere enim sese qui ceciderāt, & ex ipso casu valentiores effecti, omniū nūc pietatis genere ceteris antecellunt. fūcum his fecerat Dicbolus per veneficum quendā, qui tamen ipse debitas sui sceleris pœnas dedit. nam cum ab itinere, cui se cum alijs multis in montes dederat, reuerteretur in pagum, propiusq. ad ædes suas accederet, in obscurum carcerem vincitus abripitur, inscioq. Patre ita pugnis castib[us]q. contunditur: vt nisi nostrorum misericordia exceptus esset, priusquam lege ageretur, inter Indorum manus miserabiliter expirasset, sed atrocius videlicet supplicium hominis paculum flagitabat. rapitur igitur ab Indis per summum dedecus ad Gubernatorem: & qui paulo ante sese Deum fecerat, publice per pagos trahitur, omnium irrisione ludendus. Gubernator lata sententia nefarium præstigiatorem æquissimæ Indorum iræ permittit: vt quorum animis attulisset exitium, ab eorum ipse manibus interiret. paruerunt alacres Indi, & in pagum sceleri illi reducto linguam prius

euellunt, dein laqueo iniecto suspendunt. Atque
hac animaduersionis severitate cauendum Guber-
nator existimauit, ne periculosa imitatio exempli.
reliquis in posterum proderetur.

ILHEORVM RESIDENTIA ET alii quædam.

MAXIMA in his sedibus seges est, sed mes-
sis labor incredibilis. Sane qui de nostris
in Portus Securi, et SVincençii Præfecturis agunt,
ij diei pondus & ællus sustinent. his enim frequen-
tius traiicendi sunt fluij: his vado natandoq. trans-
mittendæ paludes: his hostium declinanda crudeli-
tas, ex quibus plerūque nisi diuinus non euadunt.
Sed tamē hæc aspera, magnitudine diuinæ dulcedinis
obruuntur; vt tum triumphare gaudio animus vi-
deatur, cum tale aliquid Dei causa superauit.

Erat in Ilheorum Præfectura præter ceteros
Ethnicus quidam veneficijs insignis, cui maxima
fides à reliquis habebatur. hunc nostri, quoniam non
minimo impedimentoo erat Euangelicæ promulga-
tioni, sæpius aggressi, conati sunt ad veritatem ab er-
rore traducere: sed cum res ille nostras ludibrio ha-
beret, diuino cōsilio, tentari cæptus est mōrbos
in quo cum viseretur à nostris, monereturq. si bēne
sibi consultum vellet, verum vt Dēum, & quem
misisset I E S V M Christum agnosceret; omnem
illam orationem admisit iniutus. Sed tamē admisit.
cum autem resistere diutius diuinæ voci non posset,
subito conuersus ad Patrem, Volo, inquit, Pater, esse
Chri-

Christianus, & sacro fonte renasci. atque ut intelligas, serio me atque ex animo loqui, tuisq. verbis fidem adiungere; scito mihi à Deo valetudinem redditam. confessimq. surgens in columnis, qui ægre iacebat in lecto, templū suis ipse pedibus petit, & una cum coniuge baptizatur: mox tanto ardore concionem habuit, ut Indis esset Lusitanisq. miraculo.

In Praefectura Sancti Spiritus quotquot versantur ē nostris, versantur autem non plus octo, omnes ob cæli grauitatem grauis morbus inuasit. nemo præter unum Emanuele n. à Payua Sacerdotem eximium desideratus est, quem matura iam mors ad præmiū suæ virtutis & sui laboris admisit. laborauit enim in hoc colendo nouali annos duodequadraginta, & quādiu in Societate vixit, vixit autem uno plus anno, diuas minimum horas singulis diebus in cælestiū rerū meditatione consumpsit. Erat ad Superioris obsequiū, ut cæcus ad pueri ductū: adeo se totum ad eius voluntate nutumq. conuerterat. & in summa prudentia, mira simplicitas elucubbat; ut non mirum si qui tot uirtutibus erat ornatus, ei Deus homini sui obitus declarasse uideatur. nam cum in morte ex graui symptomate reuiuisceret, candelamq. ut solet, sibi uideret admotam, Extinguite, inquit luce istā, & ad secundā post meridiē adestore, vaticinii exitus comp्रobauit: eadem quippe hora in patriam suam animus ē custodia corporis euolauit. Sunt in his locis Indorum Neophytorum pagi duo nostrorum fidei curæq. commissi, quos mirifice Visitatoris recreauit aduentus. tum prium ad cælestem Eu charistia

charistiae mensam Neophyti quadraginta admissi sunt, tanta ipsorum voluptate, ut nec ipsi tenere la crimis præ dulcedine possent, & nostros externosq. Lusitanos, qui eò frequètes affluxerant, in eumdem fletum adducerent. redduntur quotidie diuinis epulis fortiores, ut iam fateantur aperte, Daemonis se impetus præse contemnere, & quibus rebus facile succumbebant, eas nunc pro nibilo ducere. facilius etiam patrijs ritibus ac superstitionibus abstinent: cumq. ad ebrietatem sint natura proclives, vīnu ne attingunt quidem. Adolescens summo splendore generis inter Indos, vīni abstinentissimus, & virginitatis studiosus in primis (quæ duo inter hos homines si quando reperiuntur, pro miraculo habentur) cum ex continentia, ut Christianorum ritus religionesq. cognosceret, aduenisset; earum captus amore, Christi miles efficitur. is graui morbo oppressus, nullius vel familiaris sermones, ne pios quidem ac modos, priusquam delicta cōsiteretur, admisit. quāquā autē ex quo se ad Christum adiunxit, præcipuo quodam ardore sacrosancta Eucharistia mysteria semper coluit, numquā tamen maiore, quam supremo vitæ die, cum accepto salutari viatico. Delectabat, inquit, hæc antea me vita, nunc autem postquam Christus suo corpore me famelicum pauit, cur moror in terris? aut quid caussæ est, cur non his vinculis expeditus cum Christo feror in cælum? atque in his verbis è custodia vinculisq. corporis missus est. Præter eos, quos dixi, pagos, sunt alijs sex tum ad Austrū, tum ad Aquilonem, ab hoc disiuncti oppido passuum

passuum millia viginti: quos item nostri frequenter inspiciunt, plurimosq. ex Ethnicis rite abluit, praesertim quos vel grauis morbus, vel matura iam senectus extinguit. Ac ne plures Christo dent nomina, sacerdotum facit inopia. Hæc in hac Praefecture geruntur. ubi diuina fauente clementia maiora sperantur in dies: egit enim cum Ducibus & Gubernatoribus Visitator de rebus, que vel ad confirmandos Christianos, vel ad congregandos ad Ecclesiam Ethnicos pertinent, multaq. ab ijs impetrata sunt, quæ è re tum Lusitanica tum Indica sunt futura.

COLLEGIVM FLVMINIS Januarij, sedesq. reliquæ.

IN Collegio Fluminis Januarij ad animarū causam nemo non ardenter accedit, nec tā huic opido, quam reliquæ vicinitati consulitur. Luunt rite peccata ciuium fere sex millia. sumunt Domini corpus ad duo millia: quorū mysteriorum usu plurimæ in animis bona gignuntur. Excursiones quoque consuetæ multis fuere saluti: paucis enim diebus duorum laboribus Patrum quingenti in gratiam et amicitiam Dei restituti sunt. Atque in agresti hominum generis reperitur interdū candor, ut constet eos à Deo mirabiliter in rebus asperis recreari. Serua quedam cum tertium iam diē acerbis in partuendo doloribus urgeretur, propter salutis desperationem, deserebatur ab heris. sed non deseruit illam, quæ de relictis solet occurrere, dicitur periclitanti grauij astitisse

astitisse matrona, quæ cum parturientem comiter salutasset, iussisse fætum edere, & ad eius nutum nullo dolore ac nisi subito peperisse: ubi autem proles apparuit, subito matrona ipsa euanuisse: ut intelligi posset, nullā aliam parturientis imperasse doloribus, nisi quæ quondam ipsa in suo partu nihil suscepit maculæ nec doloris. Mitto & quot hic baptismi fonte nostri lustrarunt: quando certus numerus non nuntiatur: & quam multos inter discordes concordiam conglutinarunt; quando hæ gratiarum compositiones quotidiane iam sunt. quamquam illa præreunda silentio non uidetur. Indi proximæ Continetis cum propter iniurias ultro citroque illatas, à Lusitanis maxime dissiderent, et atrox belli tempestas instaret, senatores à Rectori Collegij postularunt, ut de nostris aliquem ad se mitteret. mittitur sacerdos magnæ apud Indos quietoritatis una cū comite, et pacem, Deo adiuuante, conciliat: deinde sexcentos ex Indorum numero in pagum, cui nostri præsunt, unā deducit. illustre & que atque arduum & per difficile facinus, quodq. magnis ei laboribus ac periculis stetit. proprius enim factum est nihil, quam in protestatem hostium uenerit, summo uitæ discrimine. ea autem in itinere incomoda pertulit, quæ consequi oratione uix queas. accidit per eos dies infinita uis pluiae, cum imber imbri sine intermissione succederet: ut piscium more degendum uideretur in aquis. nam et per aquas diurnum siebat iter, et super subitusq. aquam nocturna quies capiebatur. Fuerunt & paludes præaltæ uel nando uel uado ad guttur usque

usque traijciendæ. & quod labores cumulauit omnes, aberratum in reditu à via est: totos enim virginis dies ignari ambo viarum, velut feræ per vastas sylvas fame sitiq. prope enecti peruagati sunt; dum desperatos & pene mortuos, patrem præcipue, qui diebus ipsis quadraginta magnam vim sanguinis vomuit, domum denique bonitas diuina reduxit. Sed nimirum has cruces non possunt effugere, quibus nihil iam præter animas dulce est. nec vero tam suauis esset hæc præda, nisi his sudoribus condiretur. Sentiunt, quos animarum charitas paulo vehementius incendit, quantum voluptatis in his laboribus lateat: ut ea una fratres nostros è domestico otio in peregrinum solem prodire cogat; & tectorum quiete contempta, in omnem exigat seu terrestrem, seu maritimam oram.

In Sancti Vincentij residentia cum sedes nostras Visitator in aliud oppidum, ubi commodior habitatione foret, transferendas putasset; oppidani domos dederunt optimas, & ad rationes nostras accomodatae. constituitq. ut in altero Indorum pago duo è Piratinengensibus residerent, quò facilius Indorum saluti vacarent. Quattuor autem in hac Australis Provinciae plaga sunt oppida, quorum incolæ omnes tam Indi, quam Lusitani ad eluendos rite animos, nostros adhibent. Sed iam Brasiliam relinquamus, et ad Hispaniam conuertamur.

PROVINCIA TOLETANA.



GVNT In Toletana Prouincia de
Societate quingēti et quinquaginta
quatuor. In Toletana Professorum
Domo tres et quinquaginta. In Pro
bationis Domo Villaregiensi duode
septuaginta. In Complutensi Collegio centū &
decem. In Toletano quindecim. In Placentino duode
quadraginta. In Huetensi duodetriginta. In Secu
ritano vndeциm. In Carauacensi unus & viginti. In
Belmotensi sex & viginti. In Naualcarnerensi se
ptem. In Occariensi septendecim. In alijs idem qui
superiore anno numerus. Mortui sunt vndeциm. Ad
missi septendecim.

TOLETANA PROFESSORVM Domus, &c alia quædam Collegia,

PROFESSORVM Toletana Domus anti
quum suum consulendi animis studium & pie
tatem obtinet: cuius rei facultatem satis amplā con
fidentium multitudo suppeditat; quibus assidue Sa
cerdotes triginta dant operam. Perceptæ utilitatis
argu-

argumenta non colligam, nisi rerum, quæ inciderint dignitas flagitauerit. Susceptum est iter non in finitima tantum loca, sed etiam in remota. & in ijs, quæ solent, animis allata subsidia. Animorum autem causa, sua quoque obsequia sunt tributa corporibus, & piorum humanitate, in opum sustentata mendicitas.

C O M P L V T I nostram decorauit Academiæ Philippi Regis aduentus, qui cum Serenissimo Princeps alijsq. nobilibus viris, theologicis interesse disputationibus voluit. exceptus est carmine Latino Hispanoq. permulto, & aptissimis hieroglyphycis, quæ regiae maiestatis laudes, filijq. Principis continebant. & quamquam hac nostri tarde moniti potius effuderunt, quam elaborarunt; tamen usque eò probata sunt, ut exempla sibi multi requirerent. Regem autem ipsum, qua comitate & facilitate in omnes est, quam delectarint, testata est in redditu eius oratio, & per honorifici de Societate sermones. Sodalitas quæ in subsidium publici carceris superiore anno sumpsit initium, præclaros habet Deo faveiente progressus. attulit incrementum Pontificia indulgentiæ munus, quam ijs qui Confessionis, Communionisq. expiati mysterijs in eâ se conferunt, elargitur. Gratiarum reconciliationes fuere frequentes, sed graues inter viros una præcipua: è quibus discordia principes cum in ædem maximam nostris auctoribus conuenissent, operâq. concionatori nostro dedissent, latis postea sese amplexibus, id quod vehementer admiratus est populus, excepserunt. Nostrarū meditationū presidio copiosus presertim ex academicis colle]

collectus est fructus. Erant inter eos, qui ceteris suo exemplo vehementer obessent, sed admodum quam diximus curatione, plane sunt immutati: ut publica jam Academæ miraculo sint. Præcipue tamen admirationi fuit cuiusdam insperata mutatio, qui cum minus commodis esset moribus, & pœnam capitis incurrisset, vim publicam semper evasit. hunc aggressi nostri, & eius comprimi posse ferociam exercitorum lenitate potius, quam supplicij formidine rati; breui eum alterum reddiderunt. nunc frequentandis Ecclesiæ mysterijs, pietatem colit in primis, exemploq. est omnibus qui offensioni ceteris erat.

M A D R I D I A N I Collegij labores non exiguosè concionibus fructus ferunt. Quatuor ferme de nostris apud frequentem populum uerba faciunt, uocanturq. eius rei causa ad Aulam, cum apud Regem, tum apud Imperatricem nonnumquam. atque hæc quidem æde nostram suo illustrauit aduentu, ingressaq. templi sacrarium non obscuras suæ in nos pietatis, ac benevolentie significationes dedit: quam & re ipsa quoque cum facultas sese obtulit præsefert. Multi hic quotidie reducuntur ad frugem, multa uitia curatur; sed commemoratione, quæ sunt iam trita, non egent. Tenetur consuetudo subleuandi publici carceris ac ualentudinarij; nec deseruntur qui ducuntur ad mortem. Atque ut multa conferantur in pauca, cuiuscumque munieris spectetur utilitas, secundo cursu, quod ad rem interiorem attinet, fluunt omnia.

MVRCIANVM ET PLACEN-
tinum.

MVRCIÆ institutū est Annuntiatæ Virginis nomine sodalitum. sunt in eo sodales ducenti & quinquaginta, & quidem ex omni hominū genere ac cōditione, qui vel sacerdotio sunt præditi, vel doctrinæ titulis, generisue nobilitate præstant. nemo in id adscribitur, nisi antegressæ vitæ peccata confessus: expiantq. se fere omnes octauo quoque die: & quo tempore bacchanalia plebs agitat, in tanta morū licentia è sodalium cœtu complures, deliciarum luxu contempto, publico valetudinario ministrant. Nec vero in eorum institutis laude minore dignum est, quod pauperibus quinquaginta ex ijs, quos carcer tenet, partim suis, partim corrogatis pecuniarum subsidijs, quotidianum cibum præbent. dantq. interdum operam, vt componendis inclusorum litibus, ex ijs tenebris emittantur. Sed ex eternis tenebris alius est, vt speramus, ereptus, florēns opibus ac nobilitate: cuius vita cum esset omnibus offensioni, graui eum Deus atque ancipi morbo prostrauit. nec tamen veniebat in mentem, confitendo peccata ponere, & diuinum sibi iudicem tot irritatum offensis pænitentia placare. itaque uno cursu mortem geminam incurrebat. Id nostri cum accepissent, de laborante animo, & iam præcipitate solliciti, voluntarijs primo verberationibus studiosisq. precibus Deum placant: deinde persuadere conantur, sibi vt æger consulat, & curationē con-

K confessionis

fessionis admittat: agi de æternitate, & in unius horæ momento positum esse aut gaudium, aut interitum sempiternum. ubi multa in hanc sententiam disputata sunt, redire visus est æger nonnihil ad se se & aliquantulum emolliri; dum ad extremum nostris urgentibus manus dedit. dolere vicem suam grauiter cœpit, & in summa superioris vitæ detestatione, spem concipere diuinæ veniaæ inchoat ab ultima ætate peccatorum enumerationem, & vitam percurrentis universam, quicquid fædi latebat, effundit. ita sub Eucharistiæ sacramento Filium Virginis suscipit. atque hic illi ad vitam patefactus est aditus, quam non ita multo post non sine eorum, qui eum nouerant, spe atque admiratione, putatur adeptus. Carthaginæ Episcopus quod laudabilius in suo munere & cura uersetur, Societatis opera ualde uititur. Episcopi autem diæcesim obiere Sacerdotes duo: totidemq. cum regia claſſe Mediterraneū; cuius Praefectus nostri ordinis Studiosus, ut militum saluti prospiceret, ex eadem sibi Societate existimat petenda esse subsidia.

PLACENTIAE itum est obuiam publicis persæpe malis irisq. non paucis. Ortae erant inter duos primarios viros graues inimicitiae, propinquitatibus utrinque fotæ: ut non facile excitatum semel incendium uideretur posse restinguï. sed propitio Deo, püs nostrorum contentiōibus est effectū, ut dexteræ iungerentur, & quò constantior esset compositio gratiarum, ea præsente Episcopo, interposito iureuando sinciretur. Sed ad domestiços

fru-

fructus, ne singula percurramus, accesserunt exteri-
ni, qui quidem domesticis nec copia nec vbertate
concedunt. Inspecta est Episcopi diæcesis, aliaq.
nonnulla oppida, cum utilitate mirifica. Gate au-
tem, quæ sunt loca in montibus sita, ubi inscitiae den-
sa nox est; non modo usitatis animorum curationi-
bus, Christianaq. doctrina, sed stipe etiam ac pecu-
nia, quam ad leuandam miserorum inopiam Corien-
sis tribuebat Episcopus, consultum est. Verum
ne in rebus similibus multi simus, ex quotidianis ac
communibus multa mittantur.

TALABRICENSE ET RELI- qua Collegia.

IN TALABRICENSIS Collegio ad pri-
stinas Gymnasii scholas accessit earum que-
stionum, que de officijs incident, explicatio, ma-
gno auditorum plausu atque concursu. Quod ad
aninarum commodum pertinet, conuertit se Ma-
hometanus ad Christum, cuius non modo conuer-
sionis auctores, Deo comite, nostri fuerunt, sed etiam
perfectæ institutionis & Catechesis: ut in ea re ve-
terum Christianorum magister haberi queat.

ECARAVACENSIS Collegio ad confir-
mandas migrantes è suis corporibus animas sepe
nostri vocantur. quo in munere illud accedit ad-
mirabile. Cardiacus quidam pastor sextum circi-
ter & decimum natus annum, cum in ignem mor-
bo urgente se cohiécisset, crus vtrumque combussit.

uocantur de more adiumenta nostrorum, qui & ani-
mi saluti consuleret, & laboranti solatio essent: quo-
rum aduentu ac cohortatione acres illos dolores ual-
de ille placide sedateq. tulit: cumq. animum purgas-
set, & necessarium Eucharistiae viaticum percepis-
set; hora noctis nona factus hilarior, integris sēsibus
& sana mente, Concedite his, inquit, locum (quoniam
enim adesse Angelos affirmabat) cum bis mihi ho-
ra decima est abeundum, quæ cum affuit, candelæ lu-
mine postulato, ingentiq. gudio IESV nomen
usurpans, è corpore uti dixerat, auolauit. Quidam au-
tem appropinquante morte uir doctus, nō minus So-
cietati nostræ beneficis quam amicus, suas nobis
reliquit ædes aureorum pretio bis mille: id quod ce-
cidit commodissime, cum ibi nostras meditemur ex-
struere. Et quoniam adeo in nos liberalis est Deus,
ut tot nos commoditatibus augeat; curatur uicif-
sim à nobis, ut quoad eius fieri potest, proximorum
necessitatibus seruiamus. nam cum magna hoc anno
sterilitas fuisset agrorum; nostri per piorum subsi-
dia multis egentibus leuationi fuerūt. Aliqui enim,
nostrorum uoce permoti, syngrapham, unde in fam-
licos exigeretur argentum, afferebant. Alius autem
singulis hebdomadis de suo pecore armentisq. ma-
ctabat, quæ in cibos pauperum distribueret. De cel-
la quoque horreisq. publicis suppeditatum cgenis
est, eaq. ratione non tam corporum quam animo-
rum saluti prospectum; dum peccatorum ac scelerū
materia subtrahitur, quā suggestit plerumque men-
dicitas.

E A D E M inopum procuratio in Navalcarneriensi, & Conchensi Collegijs. Eadē in Probationis Domo Villaregiensi. Huius autem Domus Fundator & quasi parens Ioannes Paciecus interiit. cuius praeclarus è vita discessus satis nobis, quanto viuus amore nos prosequeretur, ostendit. is cum iam antea huius tirocinij re fortunisq. fundandis spem promissorum longo interuallo superasset; postea moriens, ad eius sustentationem, quidquid potuit, perbenigne reliquit. ac priusquam exiret è vita, diuino consequitus est beneficio, vt templum illud, quod suis præcipue sumptibus exstruebat, tantum non viderit absolutum. affuit morienti Prouincialis pater, eoq. iubente supremum illi officium ritu solemni funcbriq. pompa persolutum est.

I N B E L M O N T E N S I Collegio nunc primum capta est tradi magna cum nostrorum, tamen extenorum frequentia philosophia.

I N S E C V R I T A N O autem fundamenta iacta sunt templi, quod tuenda augendæq. multorū pietati, vt initiorum ardor ostendit, futurum est adiumento.

I N H V E T E N S I Collegio philosophia spatio feliciter absoluto, institutum pro ea est politioris doctrinae gymnasium, lectiq. de nostris aptissimi, qui his se se litteris ad elegantiam expoliant. Ceterum nihil ex antiqua iuuandi homines contentione remittitur. Atque vt placata mittamus odia, qua & grauia & acerba fuerunt; ex auditis re-

missisq; peccatis, non tenuis manauit utilitas. Locuples matrona moriens sacerdotem de nostris (ex his enim ad confessiones adhibere solita est) euocauit. huic par erat fratrum non eadem religione ac probitate quasoror, qui cum venientem patrem vidissent, subita suspicione incensi, ne is morientis opibus inhibaret, contumelijs onerant, & ex edibus exigunt. pater animo & quissimo reddit ratione aduentus sui, persuadere conatur, quam alium sit ab institutis nostris, quaesita utilitate aliqua, animorum saluti seruire. sed cum illi se lenire non possent, cedendum recenti tumor i Pater existimās domum redijt. triduo vero antequam femina moreretur, eorum alter religione tactus, venit ad Patrem, stratusq; supplex ad pedes, veniam petijt, & ut sororem viseret, priusquam vita excederet, exorauit. destituta iam voce feminam Pater offendit, sed cum præsentem Patrem aspexit, vocē prælætitia recepit: expiauit animum: nec ita multo post placidissimo iustorum somno est consopita. Alter vero frater non modo suum ipse facinus non agnouit, sed filium quoquac monuisse dicitur, ut societati quocumque loco posset, male consultum uellet. quæ impietas impunita non abiit. nam cum paucis ante diebus ualens atque integer uisus esset, & uitam simul, & hæreditatem, quam quarebat, amisit. obseruata uis est diuini supplicij, id quod illi ante prædixerant, qui sic instituentem liberos audiuerant. Atque ut planius intelligatur, si nondum satis intellectum est, quam hanc confirmande migran-

migrantes animas consuetudinem Deus approbet, silentio praeteriri non debet, quod de Sacerdote nostro, religionis officijq. laude praestante nuntiatum est. Is diuino consilio tum maxime in morbum incidit, cum satis belle se haberet. & quamquam medicorum sententia nihil in eo morbo putabatur inesse periculi; is tamen exploratum sibi esse dicebat, eo sibi pereundum esse. cum medici negarent, ille tamen affirmaret, & in eo perseveraret; Rector amotis arbitris hominem rogat, unde tandem id haberet exploratum: respondit, se ad quemdam exeuntem de vita biduo ante cum accessisset, multumq. ad Ecclesiæ recipienda mysteria in eo cohortando frustra sudasset; tandem ad sacrificium discessisse: in eoq. dum filium Dei gereret inter manus, supplicasse Patri per Vnigenæ sanguinē, ne hominē sine sacramentis sineret interire; seseq. & suum caput pro eius deuouisse salute: continuoq. sibi visum esse Deum, & quod postulasset concedere, & quod obtulisset, accipere: Sacrificio autem vix peracto, illum clamare cœpisse, vt confessionis causa sibi Pater adesset. qui cum affuisset, hominemq. absoluisset, tum pic illum è vita horæ circiter interuallo misgrasse. quare æquum nunc, inquit, est, vt promissi munus exsoluam, quo quidem incredibili cum volupitate perfungor. itaque ad eam horam, quam supremam sibi esse compererat, sese comparans, cessit è vita, non minore suo gaudio, quam Ciuitatis exemplo.

PROVINCIA CASTELLANA.



ONTINET *Castellana* Prouincia de nostris quatuor circiter & quingentos. In *Vallisoletana* Professorū Domo quinque & triginta. In Collegio triginta. In *Abulensi*, *Compostellano*, *Burgensi*q. totidem. In *Salmanticensi* quinque & sexaginta. In *Medinensi* Probationis Domo duos et quadraginta. Duodetriginta *Segobij*. Quinque & viginti *Palentiae*. Duos & viginti *Logronij*. In Collegio *Montis Regalis* septem, et triginta. In *Omnatensi* duodecim. In *Legionensi* septem, & viginti. Viginti *Numantiae*. Totidem *Oueti*. Duodequadraginta *Villagarriae*. Tredecim denique *Pompeiopoli*. Vita functi sunt sex.

VALLISOLETANVM, SALMAN-
ticense & Burgense Collegia.

EVALLISOLETANA Professorum Domo, Collegioq. nihil hoc anno prater vistata, singularis affertur. Geruntur more nostro permulta in salutem & commodū animorum: conatusq.

busq. sua respondet vtilitas. Illud ad Societatis existimationem plurimum valuit, quod cum quasdam quotannis pecunias Vallisoletano Collegio Ciuitas daret, nostri ne stipendi loco, ea quis deferri suspicari posset, Ciuitati ipsi reijienda putarunt.

S A L M A N T I C A E doctrinarū studia, et quasolent sedulitate tractantur; & ex quo desitū à nostris est, publicum frequentari Gymnasium, institutæq. domesticæ scholæ, quoniam & otij, & valetus dinis minus fit omnino iacturæ; plus profici videtur in litteris. Habitæ tamen sunt interdum in Academia luce disputationes magna cum laude: interdum etiam nostris in ædibus, frequentia hominum non minore. E concionibus plurima ad animos manauit vtilitas: argumento fuit multorum charitas in fo- uendis suā benignitate mendicis: ita vt quidam pallia nonnumquam sibi detraxerint, vt egenorum nuda corpora cooperirent. at præter panes nūmosq. qui quotidie passim diuidebantur; quoniam eleemosynarum magna vis fuit, multarum etiam puellarū orbitas solitudoq. sustentata est: annuoq. circiter spatio ingenuis octoginta familijs, cum à quarendo victu nobilitas deterreret, victus ipse liberaliter impertitus. Instruxit etiam liberalis hominum pie- tas, hortatu auctoritateq. nostrorum, necessaria su- pellecili sacras ædes. Nec in postremis curis pagi sunt habiti: plurimum enim Zamoræ duo de no- stris, quadraginta dierum opera tum sacris, tum fo- renibus concionibus profuerunt; ita vt Collegij de- siderio ciuitas quicquid ad eam rem pertineret, lar-

ge prolixeq. spoponderit. Nam gratiarum reconciliations, quæ vel hominum cum Deo, vel cum ipsis hominibus inter se factæ sunt, eæ quotidianæ tritæq. cum sint, numerare iam tædet. Quidam inter peccatorum confessionem cecidit intermortuus. adhibentur illico medicamina, quæ hominem restituant, & ad vitæ reducant officia. cum inania & inertia escent omnia, ad extremū sacrosancti Euageliū lectio ne mirabiliter reuiuiscit. rogatus postea, in ea animi defectione sibi quid accidisset; respondit, delatū se esse cuiusdam iudicis ante tribunal, vbi ab alijs accusaretur, defenderetur ab alijs: in eoq. iudicio grauem apparuisse matronam, specie decoram, & misericordia pietateq. præstantem; quæ nescio quid in aurem iudicis insuffranc, oculis sese hilarioribus intueretur, & animū spe compleret. Dei Mater hæc erat, quæ vt est ad omnem misericordiā prona, periclitanti succurrit. itaque vt ille ad sese redijt, voces continuo misit tantæ Matris poscentes opem, quæ vel ab ijs, qui aderant, dicuntur exceptæ: nihil vt in dubium Visi veritas reuocetur.

I N B V R G E N S I Collegio data est soluendis peccatorum vinculis perutilis opera. Componendis quoque sedandisq. discordijs, proximorum otio salutiq. consultum est. Multi autem, quorum vita moresq. offensioni ceteris erant, ad frugem ac disciplinam reuocati. Complures etiam, quæ ex alienis fortunis contra officiū occupauerant, sua cuique restituerunt. Et in his quidam bona sua reddidit universa, vt dissojueret aliena. Iam Burgense Collegiū (quod

(quod ad externam rem attinet) quamquam neminem adhuc Fundatorem agnouit, ei tamen hoc anno Iaensis Episcopus de nobis iam pridem optime meritus, aureos quotannis mille, nullis adiectis conditionum oneribus, assignauit: cū idem antea in re sacra aureos quingentos elemosynae nomine contulisset.

MEDINENSIS PROBATIONIS Domus & alia quædam Collegia.

ES T In Medinensi Ciuitate ex eo hominum generere sodalitas quædam, qui has sibi officij partes pie ac religiose vendicant, ut publicis custodijs subsidio veniant, & pueros expositos tueantur. horum obsequijs sua nostri adiungunt officia; nec mediocri ad huius pietatis laudem incitamento sunt. Est & hic confitentium turba permagna, cui Sacerdotum vix viginti sedulitas satis est. quia ex re ne optata quidem desideratur utilitas, cum è paenitentium numero etiā Sacerdotes & Parochi, quib[us] peritiiores postea ad animarum culturam accedant, spiritualibus sese excolant exercitijs. Docti sunt etiam qui alieno inter se animo erant, pacem concordiaq[ue] tueri: cūq[ue] uiros inter nobiles quædā intercederet controuersia, in qua de vita bonisq[ue] omnibus agebatur; nostrorum interuentu ac diligentia, ingenti totius reipublicæ gaudio, dirempta lis est. Quamquam autem inuandis ciuib[us], nihil opera curæq[ue] detrahitur, faciunt tamē nostri, ut vicinis quoque oppidis suas vigilias curasq[ue] dispertiant. Quodā in oppido informa-

tum est ad pietatem & disciplinam mulierum Cœnobium, & singularum excepta confessio. eodemq. modo pagus expiatus est alius, quamvis sat frequens & plenus. Presbyteris autem non modo aures pœnitentib[us] rite datæ, sed officij quoque consciëtiæq. rationes perutiliter explicatæ. Iam consuetudinem suam beneficii retinent, vt suis opibus nostram leuent inopiam. aureos mille nummos stipis nomine contulerunt: in eoq. benignitatis genere primas facile fert huius loci Fundatrix; quæ quoniam semel in nos, vt alijs litteris scripsimus, liberalis esse cœpit, numquam à sua consuetudine institutoq. recedit.

S E G O B I I præter reliquias sacrarum confessionum opportunitates, quibus ne Sacerdotum quidem copia par esse potest, complures se ad dies aliquot, ceteris posthabitis curis, contemplationis studio dederunt: cuius rei beneficio, vt intelligatur, quanta in obeundis meditationibus nostris lateat utilitas, viri vndeclim perfectam ritæ rationem absolutamq. virtutem in cœnobij sibi profitendam existimarunt. Id ipsum de Abulensi Collegio dici potest: ex quo etiam cum utilitate mirifica, pagoru[m] est peragrata vicinitas. cohabitæq. iræ non leues, præsertim quæ nobiles inter viros extiterant: & ex animi sententia res compositæ, non sine publica voluptate.

P A L E N T I A E concionū adiumentis, quæ varijs præcipuisq. habentur in templis, quotidianus pœnitentiū numerus augetur; isq. non è ciuib[us] mo-

do, sed etiā ex aduenis et finitimiſ. Declarat autē ciuitas, quantū Societati tribuat, non modo cōſulendis adhibēdiſq. noſtris, cū eorum operam consiliūq. deſiderāt; ſed etiā prolixæ benignitatiſ notiſ ac documētiſ, cū egemus et laboramus ipsiſ. Accepta ſunt ſtipiſ nomine aureorum amplius duo millia: deditq. iſuſper magiſtratus concordi omnium ordinum voluntate publicas vias duas, nec quisquam eſt inuentus, cum in conſilium relata reſ eſt, quin cauſe noſtræ valde faueret.

L O C R O N I I Turca nobilis, quamquam patriam vanitatē mordicus tuebatur, noſtrorum tamē hortatu ad verum Dei cultum religionemq. ſe tranſtulit. Obita eſt etiam cum Epifcopo diœcēſis, quo in itinere non minus noſtri animiſ, quam cum domi ſe continent, profuerunt. Ceterum Locroniſ idem rerum cursus & ſtatus eſt.

OMNATENSE COLLEGIVM & reliqua.

P R A E C I P V A Omnatensis Collegij utilitas, in percurrēndis oppidiſ fuit, vbi ea omnia admiſtrata ſunt munera, quæ instituta Societatis ratio poſtulabat. Et vt facultatem ciuitas augeat benemerendi de plurimiſ, aream nobis ad exaedificandum templum attribuit, et in eam rem peropportuna ſubſidia pollicetur.

I N M O N T E Regali vni Societas data eſt, alijsq. ſpes oblata, quibus à Deo hæc donata mens eſt

est. Ex Academia quoque aliij ad alios ordines quotidie migrant: duciturq. ex templo, quæ solet, utilitas. celebratur id à pœnitentibus sane multis; nec eorum in eluendis animis studia languere. Sacerdotes in otio patiuntur. Accurate præterea plebis per catechesim instituenda munus obitur; in eoq. decem octauæ de nostris saepe versantur. Ac præter res ceteras de more gestas plurimum è profectione quadam accessit animis lucri, præsertim redigendis in gratiam ihs, qui trigesimum iam annum mutuum sibi struebant interitum.

E L E G I O N E N S I quoque Collegio in varios pagos deriuatur industria: iijq. tanta cum incolarum tum opportunitate, tum gaudio obitis sunt, ut ad nostrorum aduentum, frequenti campanarum pulsu publicæ interdum ederentur signa lætitiae. Mirum quanto studio diuinū verbum exciperent universi. Sæpe fuit è templorum angustijs, ut conferüssimæ multitudini satisficeret, in apertos ac patentes campos prodeundum: cumq. hic illi concionem arrebitis auribus audissent, ad alias in alios pagos nondū saturi concurrebant. Quodam in pago quinquaginta amplius sese ab universæ ritæ peccatis, sacris confessionibus expiarunt. Erat in oppido quodam tanta ouibus cū Pastore contentio, ut ne exaltis quidem pene Paschatis ferijs, quispiam esset peccata confessus. sed cum Pater aduenit, tum & gregem cum Pastore coniunxit, & Deo per pœnitentia sacramentum reconciliauit. Alio in loco cum hoc ipsum sacramentum quidam perperam adhiberet, visus est sibi

sibi videre cœli Reginā irato quasi vultu iubere, certo in loco ad statā horam adesse, ubi Patres quosdā offendideret, apud quos animi noxas elueret. paruit ille confessim admonitioni, et Patres ut sibi prædictū erat, offendit: quibus ad confessionē adhibitis, magnū è Dei matris beneficio lœtitiæ fructū cepit. Alibi cōcordia veteres inter discordes, quos nullius auctoritas reducere in gratiā poterat, confirmata est. Atq. hoc de gratiarū compositione dici etiā uberrime de Numantino ceterisq. Collegijs potest.

EST autē Numantiae in ædem nouā maxima omnium hominū celebritate, nobilitatisq. conuentu fæta migratio. cohonestauit eum diem egregia concio Osmensis Episcopi, qui ipsum quoque templum solēni ritu ac ceremonia dedicauit, magnificeq. ab Osmensis ædis Antistite solemnia sacra sunt facta.

COMPOSTELLÆ quoq. ad obliuionē iniuriarū vox nostra valuit. pepercit vir uxori, quā tradiderat ad suppliciū: et iam securi subiectæ erat ceruices muliebres, cū uir subito ad clementiā versus, mittit, qui è carnificis manibus sōntē eximat. hāc nostri ut mortem animi, eadem, qua corporis, felicitate vitaret, collecta precario stipe, in Cœnobio mulierū collocarunt. Sed ut domestica fileatur utilitas, ingens ea fuit, quæ paganorum animis est allata. Sacerdos unus paucis mensibus multa confitentiū millia cum alijs Parochis audiuit: atque ut ardentius paganorum studia ad cultum pietatis præstans Archiepiscopus inflammaret, plurimum per nostros argenti cum maximo Coronarum ac Rosariorum numero dispergiendum vulgo curauit. Ad externa vero cōmoda accessit,

accessit à ciuitate fons aquæ, magno Collegij bono: extructumq. insuper est Illusterrimo Archiepisco- po Francisco Blanco Fundatori Sepulchrum, quod totam illustrat & honestat ædem.

VILLA GARSIÆ Domus quamquam id potissimum spectat, ut nouitios, & recentissimum quemque ad omnem virtutem expoliat, id quod agitur accurate; tamen eodē quoque tuendi iuuandi proximos studio, ac cetera Collegia & domicilia, tenetur. qua quidem in re diligentem animorū procurationem utilitatis saepe fructus adæquat. qui vt vberior perpetuò sit, retinet suam in nos liberalitatem lectissima femina Magdalena, & huius Domus, & Quetensis Collegij fundatrix: dum non ad habendum modo nobis luculentum Cœnobium, sed ad res curandas diuinæ templū elegans exstruit. huic Deus Optimus Maximus, quando tenuitas nostra non potest, mercedem ipse pietatis exsoluat.

POMPETOPOLI quoque augēdis animorum commodis præbetur occasio, partim quotidiano hominum ad sacramenta concursu, ex quibus viri nobiles è regio concilio saepe conueniunt; partim Proregis Episcopi. & aliorum in nos magistratuū vulgo iam perspecta benevolentia. Ac Proregis quidem benignitate, bona pars ædium absoluta iam est. Episcopus autem annuis ipse quoque subsidijs tenuitati nostræ succurrit. Exitur & ad animarum questum in ceterum agrum, eodem munerum opportunitate, qua ceteris locis: quod ipsum cum Villagarsiæ ceterisq. Collegijs solemne est, tum Quetensi

praci-

præcipuum . Mittit enim Ouetense Collegium in agrum proximum , & multas operas & idoneas , quibus Deus vtitur continenter ad sananda in populis vitia: eorumq. studijs ac laboribus tantum sibi nomen Societas comparauit , vix ut quisquam morbo tentetur , quin subito expiandi animi causæ nostros euocet . fuerunt autem expiations adeo frequentes , ut earum summa , que ab ultimis modò annis inchoata sunt , octingentas excedat . Hinc nimis opportunitates natæ reliquæ : seu reconciliatas veteres gratias speles , seu vitiorum sublata dedecora . Foueat Deus hanc nostrorum in tutan- dis animis mentem : ut quò plures conseruauerint tutatiq. fuerint ; ed maidra ac solidiora gaudia , & sibi , & cælestibus pariant .



PROVINCIA ARAGONIA.



VERVNT in Aragonia Sardinaq. fratres trecenti circirer ac vi
ginti. Valentia in Professorū Do-
mo duodetriginta. In Collegio vnus
& quadraginta. Cæsaraugusta
quinquaginta. In Barcinonensi Col-
legio sex & triginta. In Gaudiensi vigintiduo. In
Balearico totidem. In Gerundensi quindecim. In
Bilbilitano decem. In Domo Probationis Taraco-
nensi sex. In Sardinia, ut mox dicemus, vndenona-
ginta. Diem obiere sex. In Societatem adscripti
sunt quindecim.

DOMVS PROEESSA VALEN-
tina & Valentinum Collegium.

VALENTIÆ quantum conniti ani-
mo nostri possunt, tantum Student animis
conseruandis et, ut minora mittatur, præcipuo quo-
dam studio ad Carnificinam sotibus adfuerunt, ne
cum corporibus simul animi plecterentur. Maho-
metanus ad Christū nuper additus, cum ob crimen
raperetur ad necem, Christianumq. se emori simu-
laret;

laret; carnificis ad aspectum palinodiam cecinit. cuius inconstantiam ac levitatem merito, qui illi aderant, aspernati, continuo hominem, ne operam in eo luderent, derelinquunt. desertusq. fere ab omnibus est, preterquam à nostris; à quibus tam ardens habita est cohortatio, vt reum penitus immutarint. Crucem suis ipse manibus sustulit, eamq. pie admodum veneratus, tum demum induxit animum, pulsis diuinis tenebris, christiane mori. Ergo peccata cū dolore confessus, & ad Christianorum patibulum, vt postulauerat, ductus, frequenti I E S V nominis usurpatione, mortem illam non dubijs suæ salutis significationibus editis, alacriter & constanter excepit. Mulier orbata viro, cum, & atatis flore, & præclaris animi corporisq. bonis ad libidinem abuteretur, non paucis ciuibus erat exitio: & quod magis deplorandum erat, suas tenebras adamabat. præceps igitur ruebat in vitia; & præterita facinora nolis semper sceleribus superabat: dum ad extremum in homicidij societatem venit, & pænam criminis, quæ grauissima erat, incurrit; dextra, auribus, capiteq. damnanda. quod illa supplicium cum redimere nec graui auri pondere, nec precū magnitudine posset; agnita æquitate diuinæ iustitiae, presertim quod à tenero filio, annos nato vix quinque, prodita est; se ipsa respexit. Tum demum pristina mutare consilia, & nostros, à quibus abhorrebat, accersere. his scelera confitetur, & in amorem versis odijs, ea sibi ad salutem præsidia parat, quæ insuis tenebris derdebat. Affuit dies, cum dandæ carnifici ceruices

erant; quo quidem tempore nullo tortoris aspectu, nullo mortis aduentu perterrita, adeo sedatam tranquillamq. se præbuit, ut cum aures illi ex Iudicium sententia præciderentur; ad Deum oculis precibusq. conuersis, cruciatus illos in lucro atque in beneficij parte reponeret. In itinere cum in effigiem Beatae Mariæ semper virginis incidisset, auro gemmisq. decoram, studio quodam pietatis incensa, magni pretij anulum detraxit ex digito, in eiusq. Virginis manus inseruit. nec caruit sua mercede tā liberalis manus; quæcum ex Iudicium sententia, simul esset cum auribus amputanda, Carnifex nescio quo deceptus errore, clara testatus est roce, eam sententia partem à Iudice fuisse mutatam: cum tamen nihil tale Iudici, ut postea compertum est, venisset in mente. Ac ne longum faciam, mortis acerbitate contempta, patibulum sponte concendit; & quò propius à morte aberat, eò se vehementius mulierbris pietas intendebat. Referre Magdalenam alteram dices: tanta ac tam repentina fuit animi, morumq. conuersio. nec poterat à I E S V Christo diuelli, quæ icta eius semel erat amore. huic illa identidem & nomen appellabat, & osculabatur imaginem. ac demum eo vitā fine conclusit, ut magnam suæ spem salutis vulgo reliquerit.

Sodalitium superiore anno inchoatum, multum & sodalium numero augetur, & pietatis ardore. atque, ut laudes reliquias sileamus, ita se sodales instituant, ut non modo custodias, & Nosocomia frequenter inhisan; sed etiam alieno oppressis

oppressis ære subueniant. Quadraginta ex ijs, quos alienum æs morabatur in carcere, debito omni perso luto, educendos mittendosq. curarunt: ut futura iam hæc sodalitas videtur quasi quoddam piorum hominum Seminarium, unde multorum egestas ac calamitas subleuetur.

I N V A L E N T I N O Collegio multi sunt qui ab omni se negotio remoueant, & in cubiculum abditi, ad meditationes se Societatis exerceant. Duo etiam quò facilius ad supra & cœlestia nitan tur, contempta humilitate terræ, in Societatem ipsam dedere nomen. Ad sacras templorum conciones accessere forenses, quoq. ad sacras Virgines in eorum Cœnobijs habentur: nec tamen intermit titur Catechesis. Et quoniam ad ea curanda, quæ Dei sunt, Societas tota conuertitur, ipse quoque Deus singulis momentis, quæ nostra sunt, curat. Trecenta hoc anno ab honestissimis viris agri iugera sunt delata: ac præter alia multa minuta, pia femina hæreditatem quamdam Collegio legauit.

C A E S A R A V G V S T A N V M & reliqua.

C A E S A R A V G V S T A N I Collegij tē plu m annis iam aliquot inchoatum, hoc anno demum absolutum est: opus sane elegans & diuinis visibus opportunum; quodq. sua sponte ad nauandā animis operā Sacerdotes nostros inuitat. Uticensis

Episcopus, is qui primum lapidem rite iecerat, eius quoque dedicandi prouinciam perbenigne suscepit. & quò magis testatam suam nobis benevolentiam faceret, satis tamen ante perspectam re diuina peracta solenni ac Pontificio ritu; eum diem agere apud nos voluit, & eadem familiariter ut in mensa.

Hic nostri in suis perennibus studijs muneribusq. se continent; nec ciuibus tantum profunt, sed etiam exteris. Ferunt animis opem; & cum animis saepe corporibus. Publicas unaquaque hebdomada custodias obeunt: & animorū quidem egestatem, diuino verbo; corporum vero, quæsito ære vel ueste sustentant. Sontes, ut æquo animo supplicium perferant, tum plenis charitate sermonibus animant, tum ad patibulum prosequuntur. Hominibus non modo ab omni fortuna, sed etiā spe derelictis, et re, cum possunt, & oratione succurrunt. prohibitiq. sunt nonnulli desperatione percussi, ne se abiijerent; nec sibi ipsi mortem, Satana instigante, consciencerent. Expoliendis etiam Catechismo rudiibus suum tempus impertiuunt. Quo in genere Sacerdos noster duos ab ortu mutos pia quadam miseratione complexus, solis nutibus, & digitorum argutijs sic instituit, ut præcipua fidei dogmata perdidicerint, & cù Confessionis, tum Eucharistiæ sacramenta susceperint.

BÄRCINONÆ Exercitationes litterarie, quæ crebra frequentesq. fuerunt, semper ex sententia cesserunt: sed ex earum explicatione quæstionum, quæ ad cuiusque vitam & officium pertinent, mirifica ad animos utilitas rediit. præfuit ei muneri
Sacerdos

Sacerdos noster præcipua Vrbis in Aede; cum præsens adesset Episcopus, Canonicus. Sacerdotes, & Equites. Didicerunt ex ea Parochi Clerusq. totus rationem sui muneris obeundi. & qui simonia, Collybo, Ecclesiæq. astricti vinculis tenebantur, ijs omnem dubitationem pater exemit, suiq. soluendi faciles vias dedit.

In sodalitate Dei Matris, quanta ad sodalium numerum, tanta ad pietatis laudem accessio facta est. constat hic cœtus ex sodalibus centum & viginti quinque: qui quidem tantum sibi, & religionis, & doctrinæ nomen apud omnes huius Regni Antistites pepererunt, ut ex ijs nouem, facto prius de cuiusque eruditione periculo, totidē curijs Paræcij sue præpositi sint. Horum multi rerum humanarum despicien-
tiam edociti, mentis aciem in cœlestibus bonis, atque in ipsa aternitate defigunt; vulgarem hominum vitam cum Cœnobij disciplina commutant; noſtræq. vitæ genus, præter alios multos, qui id ipsum flagitant, amplexati sunt quatuor.

IN BALEARICO Collegio tres se ad Societatem adiunxerunt, philosophia in primis exculti: aliqui etiam ad reliquas familias atque Cœnobia: multoq. plures, qui se adiungant, fore, pollicetur Beatæ semper Virginis sodalitum: cuius sodales in Societatis quasi gremio sinuq. educati, ad omnem se virtutis laudem decusq. limant. ac per angustias Domus Probationis stat, quominus potentibus mos geratur. Dant etiam spem virtutis Auditores noſtri Gymnasi, præsertim quod primæ nobilitatis

adolescentes traduntur in disciplinam: quorum laudabiles exitus, locum ipsum, unde prodierint, ita commendant, ut ad eamdem alios disciplinam, eiusdemque laudis studium vehementer incendant. quod proximis quibusdam disputationibus, (in quibus principis cuiusdam yiri filius, praesente Prorege, totaque nobilitate, acriter disceptabat) pates factum est. Quae ad reliquos huius anni fructus pertinent, ea ne semper eadem consequemur; eorum, quae de ceteris Collegijs diximus, sunt similia.

G E R V N D A E hoc anno primum tradi philosophia publice cæpta est, cum communi gratulatione ciuium, tum spe futuræ commoditatis. cuius rei fama nonnullos in hanc disciplinam adolescentes & finitimis etiam oppidis euocauit. quoniam autem nostrorum eruditio non vulgarem commendationem subito in vulgus habuit; Ciuitas nostris contenta Doctribus, alios nullos in Academia requisivit. Ea est autem ciuium in nos voluntas atque propensio, ut nihil omnibus videatur antiquius, quam ut annum regal Collegium habeat; unde & amplior alia familia possit, & haec iuuentus humanitatis etiam litteris erudiri. Res diuina meliore videtur hoc anno loco, quam superioribus. auxit hominum ad sacramenta concursum opportunitas concionum, praesertim, quae de Eucharistiae mysterio, crebraque eius usurpatione sunt habitæ. Quæ quidem diuinorum consuetudo posteriorum foras etiam peruersit, precipueq. ad Pyrenæos montes, qui Gallos dividunt ab Hispanis, ut proximis litteris demonstratum est.

Inst-

In signiora hic instituta sunt oppida tum concioni-
bus, tum catechismo. atque vtinam excitatus semel
diuinitus ignis, à reliquis Sacerdotibus fouetur sed
magna est idoneorum Sacerdotū penuria; vt necesse
fuerit, de Sacerdotis officio conciones habere priua-
tas. Curatum est etiam præter alia; quæ varijs
sunt gesta locis, vt multi, qui pellices alere consue-
uerant, aut matrimonio rite inito, haberent eas uxo-
rum loco; aut è domo sua quamprimum extrude-
rent. Erant etiam quodam in oppido, qui vitam so-
lo fœnore sustentabant; nec id fateri aperte pudebat:
negabant enim vel domesticæ, vel alienæ inopie ali-
ter posse eonsuli. sed religione à nostris obiecta,
eripi sibi passi sunt hunc errorem: suaq. illis om-
nia eo animo permiserunt, vt quæ inquis artibus
comparassent, ad nūmum redderent vniuersa. qua-
re cognita tam oppidani, quam peregrini ornare
laudibus Societatem, diuinamq. erga se beneficen-
tiam efferre: Patres etiam obsecrare, vt se fre-
quenter inuiserent, & ad æternam vitam salu-
temq. dirigerent. Certatimq. ad confessionem tam
multi confluabant, vt nisi noctes addiuarent, de-
serendi vtique multi forent.

S A R D I N I A.

DE GVNT In Sardinia de nostris vndenonagin-
ta. In Saffaritano Collegio tres amplius et qua-
draginta. In Ecclesiensi nouæ. In Calaritano duo circi-
ter et triginta: sed ex hoc postea numero, ut id ipsi
mox

mox planius; in Probationis Domum recens insitum
tam quatuordecim commigrarunt.

SASSARITANVM.

SASSARI Gymnasii numerus, ex struttis no-
uis Exedris, augetur. nam cum à Collegij sedi-
bus scholæ veteres longe abessent; nunc ad id, nouis
scholis adiectis, nouos quoque Auditores earum &
laxitas, & opportunitas inuitauit. Dat & Dei Pa-
rentis Sodalitas fructus suos. Sodales ex ea tres,
præter eos, qui in alijs Cœnobij diuino cultui se de-
dicant, familæ nostræ se tradiderunt. Foris non mi-
nus studiose, quam domi, animarum causa defendi-
tur. locis compluribus obeundis, conquicuerunt ire
multorum. rediitq. ad suum quæque dominum male
parta pecunia. propulsata sunt incommoda multa:
excisa vitia fædissima: & alia huiusmodi gesta com-
plura. Sensit maxime nostrorum opem Ciuitas Al-
garensis, vbi ea cum laude, Societatis administrata
sunt munera, ut Collegium ab omnibus expetatur.
Pagus aliis, cum ex priuatis quoruðam odijs, duas
in partes discessisset, habita à patre nostro de Christi
cruciatibus concione; princeps alterius factionis, is
qui grauissime lœsus erat, diuinitus emollitus, sine
mora se flexit: reliquoq. illico pallio, conuenit inimi-
cos, eosq. per amice complexus, suo exemplo cete-
ros impulit, ut missis similiter odijs, ad concordiam
æquitatēq. descenderent. Nec vero domesticis fuit
iris tantum, ac certaminibus occurendum; sed cum

in

in exteris etiam arma ferrētur, mutua tum cruoris effusione, tum nece; compressa est tam acerba iracundia & flamma, & utriusque parti tranquillitas restituta. Verum compositiones factae per nostros plures sunt, quam ut singulae numerari queant. genus attigisse sit satis. Reuocati in eodem sunt pago pū quidam hominum cœtus, Rosarij celebrandi causa, aut in honorem sanctissimi I E S V nominis instituti: quorum beneficio mos peierandi minuitur. Traditus est per quadragesimam pueris plebiq. infimæ catechismus, tanta hominum cum approbatione, ut honestus presbyter tam salutarem consuetudinem totō anno thendam alendam q. suscepere.

CALARIS quoque pristina tuendorum hominum consuetudo tenetur. Curatum est, ut Gazophylacia, unde miseri illi, qui habentur in vinculis, sustentari queant, in celeberrimis Urbis locis affiguntur: pariq. sedulitate eorum verecundiæ, quos precario vicitare pudet, prospectum est. Ad domesticas conciones accesserunt, quæ & in ædificiis maxima, & in Dominicanæ familie templo, ipsorum Patrum rogatu toto anno sunt habita: ex quibus sua quoque in animis respondit utilitas. Tres ad Societatem se contulerunt, quorum duo Sodalitij factus sunt, & Dei Parentis alumni.

In pagis eadem cura de animis. Graues enim iniuriæ, nostrorum precibus sunt donatae, & ad complexum inimici quaesiti. Vagæ peregrinaeque libidines graui oratione damnatae, sublataque nefaria connubia. Egentibus parata subsidia; peccatorum occasio-

occasiones ademptæ, atque, ut uno verbo multæ
concludam, Societatis partes rite administratae sunt.
Quodam in oppido vir primarius, desperata iam fi-
lij salute, Sacerdotem nostrum accersit, rogauitq. ut
filij salus ei curæ esset. Pater parentis perspecta fi-
ducia, I E S V Christi Euangelium in sinu pueri
religiose pronunciat: cuius religionis ea vis fuit, ut
non ita multo post semianimis puer habere melius,
& suis pedibus ingredi cœperit.

Huic Collegio Nouitorum ædes erant adiunctæ;
sed hoc anno opportuna visa res est, eas à Collegio
sciungere, & in Suburbio collocare, salubri loco &
per amœno. Exæ sunt B. Michaelis nomine, Deo
sacræ, annuis instructæ pecunijs ad aureos quadrin-
gentos, & eo amplius. facta est hæc migratio deci-
mo quarto. Kal. Ian. quanta vicinorum gratulatio-
ne, dici vix potest: qui cum antea locorum interual-
lo, frui, ut aiebant, Societatis opportunitate nō pos-
sent; nunc noua hac vicinitate nostrorum, per-
beati sibi videntur; quod vna, omnia si-
bi videantur nati præsidia ad pie
Christianeq. viuendum.



PROVINCIA BOETICA.



ND E C I M & quadringenti de nostris in Bœtica Prouincia fuerūt. In Hispalensi Professorum Domo septem & quadraginta. In Collegio duodecim septuaginta. Cordubæ quatuor & octoginta. Granatae quatuor & quinquaginta. In Montelano Collegio duodequinquaginta. In Vaezano quinque circiter & viginti. In Malacensi septendecim. Totidem in Marcensi. In Triguerosi duodeviginti. In Gadi-tano vndeviginti. Quatuordecim in Zerensi. Admisit hic Societas ad viginti. mortui sunt septem: In ijsq. Pater ipse Provincialis, quis suis laboribus atque industria huic Prouincie plurimum attulit adiumenti.

PROFESSORVM DOMVS HI- spalensis & alia quædam Collegia.

IN Hispalensi Professorum Domo constans est celebritas hominum & conuentus ad Sacra-menta: idq: tum maxime cerni licuit, cum pro-merendi Iubilai gratia, quod noui Pontificis li-beralitas vniuerso Christianorum orbi concessit,

Pani-

Pænitentia, Eucharistiæq. fuerunt percipienda mysteria. Sex amplius hominum millia uno atque altero die cælestibus apud nos epulis sunt excepta. Sed cum in omni munere recte nostri & cum utilitatis laude versantur, tum in animorum tutela perdiligerter. Atque ut minuta dissimulemus; mulieres tredecim, quæ suis corporibus abutebantur ad quæstum; vel ad honesta sunt traductæ coniugia, vel, ne se amplius noxijs voluptatibus inquinarent, in tutis sedibus collocatæ. imbutaq. de more plebs catechesi, non in Urbe modo, sed etiam in suburbis, proximisq. pagis.

C O R D V B A E Iudeus quidam, cui iam Deus illuxit, baptismi causa ad nos se contulit; acceptisq. Christianæ legis initij, summa populi celebritate in æde maxima baptizatus est. Eadem fors obtigit mulieri Turcæ, quæ quamquam impuris addicta sacris, longe abhorreret à veritate; tamen diuini verbi aculeis acriter stimulata, Sacerdotem è nostris, quo cum ageret, flagitauit; ab eoq. edocta de more Christum, salutari fonte lustratur. Prohibiti sunt etiam ab inimicorum sanguine atque cæde nobiles clariq. ciues, quorum ex odijs mutuisq. dissensionibus luctuosa metuebantur exitia.

G R A N A T A E item ad animarum salutem acriter vigilatur. quibus quidem non modo publicis in templo concionibus, sed priuatis etiam in tradendo Catechismo sermonibus subuenitur. Adolescens nostrorum oratione permotus, mulierem, cuius usuram corporis sibi ceperat, ad nos deduxit; adhibito q.

Pæniten-

Penitentiae Sacramenta, legiti mi ambo matrimonij
fædere sunt coniuncti. Alius, qui viua uxore altera
duxerat, nuncium posteriori remisit, et ad superiorē
reuerit. Conuersæ sunt etiam iratorum mentes ad
equitatem & pacem, eorum præsertim, quorum
eò usque progressæ erant inimicitia, ut nisi duello
viderentur non posse discuti: commissaq. iam pene
pugna miras edidisset strages, nisi tempestive Socie
tas occurrisset. Ad domestica vero munera (id
quod de omnibus fere Collegijs accipiendum est)
accederunt externa: & vna cum Archiepiscopo &
Pastore, reliquis etiam ouibus tota eius diœcesi di
spersis, opportuna pabula ministrata. quo quidem
tempore, quoniam propositum à Summo Pontifice
Iubileum consequistudebant omnes; ingens ille qui
dem in expiandis rite animis, sed tamen frugifer sus
ceptus est labor.

VÆZANVM ET RELIQUA

Collegia.

IN VÆZANO Collegio inchoatum est
quoddam è nostris fratribus Seminarium, qui ad
eloquentiā informentur; ex quo plurima in reliqua
Prouincia deriuetur utilitas. Animorū autē curā
pro se quisque administrat egregie. Conuersus est ad
Christum pertinax Turca, qui in custodia seruabatur
ad necem: ne prius graderetur ad mortem, quam
per baptismum ingredere tur ad vitam. Compositæ
sunt etiam inter inimicos gratia: consultumq. eoru
qui

qui detinentur in carcere, non animis modo, sed sepe etiam corporibus. nam cum ex amonæ caritate, fame enecti quidam miserabiliter interirent, nostri diuinæ benignitatis erga se memores, quā numquam sibi in tanta agrorum sterilitate deesse senserunt; succurrentum de suis angustijs famelicorum periculis censuerunt. quæ benignitas ad reliquam etiam mendicorum turbam summa Ciuitatis cum approbatione pertinuit: ducentis enim quotidie mendicis dividabantur domi nostræ cibaria: nec tamen nobilium deserebatur egestas; quibus eò à nostris succurrebatur ardentius, quod sibi ipsi succurrere ingenuo præ pudore non poterant. Dominico quoque die excusum est in Vbedam, finitimum oppidum; habitaq. in eo perutiles conciones: persuasumq. multis, vt à delicatis & obscenis uoluptatibus se seiuengerent: multis etiam vt iracundia temperarent, & iniuriarum vltionem diuino tantum Iudici reservarent. Et, quod caput est, Sacramentorum freqvns vsus inductus.

IN MALACENSI Collegio præter alia pietatis officia, publici carceris necessitatibus subuentum est. Constituta in eo est. sodalitas salutari bus cum institutis: cuius beneficio, cum cetera virtus, quibus referta sunt omnia; tum iurisiurandi ac maledicendi consuetudo minuitur. Et quoniam non minor fuit corporum; quam animorum egestas, ad animalium pabulum, corporum quoque adiectus est cibus. is singulis diebus præbebatur à nostris, exemplo non minore, quam fructu.

GAL-

GADIBVS apertum est humanitatis gymna-
 sum; diu iam ab Episcopo ceterisq. nobilibus expe-
 etatum: attributiq. in eam rem quotannis aurei ab
 eo nummi trecenti & quadraginta. nec ciuium in eo
 desiderata benignitas; qui quamdiu Gymnasii opus
 suo ære inchoatum, non sit perfectum, numquam ces-
 sant de suis opibus impertire: cum tamen alijs in
 rebus saepe nobis emolumento fuerint. ac ne
 colligam uniuersa, quæ septingentorum
 aurerorum summam & eo am-
 plius efficiunt; nobilis femi-
 na aureorum bis mil-
 le nos scripsit ha-
 redes.



PROVINCIA MEXICANA.



SVNT in Mexicana Prouincia sedes octo, fratres centum, & quinquaginta. In Collegio Mexicano circiter octoginta. In Angelopolitano duodecim. In Vallisoletano non plus quinque. In Tepotzotlana Residentia nouem. Undecim in Pascuarense. In Domo S. Crucis omnino septem. Vno plus in sede Manillæ. Adscripti sunt octo. Neminem toto quadriennio mors abstulit, quæ est cœli clementia, Deiq, Opt. Max. in seruanda nostrorum pacitatem benignitas.

MEXICANVM COLLEGIVM.

MEXICANI agri fertilitas propter infinitam pene Hispanorum, Indorum, seruitorumq. multitudinem tanta est, ut demetendis frumentibus opera desint. Sed quæ de frequenti hominum cœtu, siue ad audienda diuina verba, siue ad capessenda sacra mysteria, scripta sunt aliâs, nihil est, cur his litteris repetamus. Augentur quotidie conuentus ex eo hominum genere, qui misera egestate compulsi Mexicum nauigant; sed numquam tamen

ita sunt austri, ut cum Hispanias proxima famae exercevit. Quo ex loco quoniam non sine vita districmine plurimi soluunt (accidit enim fere semper, ut vel nauigationis molestia, vel portus incommodo, plerique graues ac periculosos morbos contrahantur, aut in ipso littore miserabiliter extinguantur) diuina bonitate comparatum est piorum hominum subsidium, qui his morbis aerumnisq. succurrant. horum autem cum pietate, nostrorū se quoque piezas studiumq. coniungit: qui suam proxime operam tam strenue animis corporibusq. nauarunt, ut ex oppido S. Crūcis, quod sex dierum itinere Mexicā distat, egentes viros ac feminas partim curribus, partim equis, septingentos in urbē inuixerint. Est autem in urbe Domus ad id destinata sat ampla, quam tres ipsos menses duo de nostris ingenti eorum, qui laborabant, & voluptate & commoda frequentarunt. Quod ad litteras attinet, ea trāduntur auditoribus ferme trecentis, non solum prima, & quæ latīnae tantum lingue cognitione, sed etiam interiores, & quæ Philosophiæ, ac Theologiae nomine continentur. atque ea est de nostrorum cum docendi ratione, tum doctrinæ præstantia opinio hominum, ut non modo celebretur à iuuentute Gymnasium, sed etiam petantur à præfulibus adiumenta doctorum. Aduocarunt enim nostros in concilium suum Episcopi, ab ijsq. cum sui decreta concilij redigi in ordinem voluerunt; tum catechismi conficiendi negotium, quo anno omnes in erudiendis Hispanis atque Indis vterentur, decrunt.

derunt. Studium autem Mexicanæ linguae priuatōs intra parietes inchoatum, numquam intermit-
titur. Itaque tanti in ea progressus habentur, ut ma-
gnæ Deo duce spes sit, fore, ut cū primū litterarū stu-
dia nostri persoluerint; uberrimo cum fructu nauēnt
operam animis. Sane incredibilis est messis ubertas;
quæ tantò celerius linguam nostris acuit, quantò
expectatio utilitatis est maior. Cerni licet in paten-
ti Collegij loco quatuor & eo amplius Indorum mil-
lia, tanto animi sensu, ac lacrimarum effusione con-
cionatori nostro operam dare, ut vel eis sapenu-
mero, qui ad hanc ipsam linguam surdi sunt, la-
crimæ sponte profluant. Nec vero ad horam me-
liores fiunt, aut ijdem abeunt, qui venerant. pōnunt
quas attulerant noxas, & ad curandas animi pla-
gas se repente convertunt. Sacramentorum medici-
nastam studiose quærunt, ut ad nos vel agri, & qui
non procul absunt à morte, in ipsis lectulis depor-
tentur. Indus cum esset integer ac bene ualens, vi-
dere sibi vius est per quietem eximium quemdam
splendorem lucis, et uocem huiuscmodi audire, O ca-
chitona, hoc est, non ita multo post: quibus her-
bis non obscure sensit, supremum sibi prædicti diem,
& finem adesse uitæ. Ergo ad eum se diem compa-
rans, Domini, inquit, sum, nihil abnuo si ita fert di-
uina noluntas: nec recuso quo minus hinc euolem.
mox febris ardore correptus, deduci se iubet ad no-
stros, & munit animum sacramentis: nec ita multo
post, ut uox illa monuerat, ex his tenebris in illam
lucem excessit. Longum est exempla congerere. mul-
ta

ta sunt ad Indorū declarandam pietatem proximis
scripta litteris. Addatur hoc dumtaxat de puero
infante, cuius admirabilis obitus silentio prætereun
dus non videtur. qui quatuor natus annos, tanta au
ditate Christianæ rudimenta legis arripiebat, ut
nullus ei lusus videretur esse iucundior: neque ea
ipse modo celeriter hauriebat, sed ea quoque soro
rem paruam, & qualesq. pueros edocebat. is cum in
mo**b**um incidisset, continuo nostrorum apud Deum
suffragationes & preces petiit: & ad extremum sa
cerdotem nostrum, qui migranti sibi adesset, ac
cessit, nocte media quasi missionis veniam à pa
rentibus petens, Valete, inquit, parentes mei, ad Pa
trem enim ascendo Deum. atque in his verbis ex
cessit è vita. Fratrem autem paucis diebus post, so
ror ipsa unum atque alterum agens annum, ijsdem
verbis in ipsa vita clausula parentes affata, felici
exitus subsecuta est.

Sunt et in Mexicano Collegio, ut ceteris locis, sa
dalitates & contubernia, quibus cum utilitate So
cetas praest. Contubernia sunt duo, ex adolescenti
bus centum & triginta. Sodalitas non plus una,
Dei Matri dicata, è Sodalibus septuaginta; in qui
bus virtus & pietas primas habent: secundas, ut
par est, litteræ & sapientia: quarum illi quotidie ma
xima cum priuatum, tum publice dant inditia. Sed
sit iam huius Collegij finis, et reliqua, ut instituimus,
pe: stringamus.

IN TEPOTZOTLANA. Scde vni In
dorum saluti consulitur, & domesticos intra parie

tes Othomitarum lingua perdiscitur, cum propter ministrorum inopiam, tum propter multitudinem populorum. quorum lingua etsi multis antea sudoribus parabatur, nunc partim opera industriaq. nostrorum, partim etiam alienis opibus atque adiumentis, reddita est ad docendum discendumq. facilior: ita ut sacerdotes quinque non longi temporis exercitatio, & expedite pro concione loquantur, & sine difficultate peregrinas confitentium voces agnoscant. Hæc ut plurimum ignoratur à Parochis: atque ob id ipsum multi sibi existimant à Societate animorum petenda esse præsidia. Numerum porro & frequentiam hominum par propè comitatur utilitas. pulsa est ex Indorum moribus, quæ in plurisque dominabatur ebrietas, atque ita pulsa; ut cū ad conuiuium à vicinis oppidis inuitentur, malint se ab eis despici ac derideri, quam ut vocantibus morte gerant. Appellantur per ludibrium Hypocritæ, & plenis nonnūquā poculis perfunduntur: alijsq. petuntur conuictis ac maledictis; quæ tamen illi tam aquis & tam gaudentibus ferunt animis, ut eos ipsos, vnde sunt læsi, ad pœnitentiā persæpe reuocet. In miraculis id Hispani ducent, homines eō usque vino deditos tam subito mutare naturam: in eoq. sacramentorum vim agnoscunt, quæ illi crebro, & cū pietate tractant. solent enim eius rei causa frequenter ex agris remotisq. locis hic conuenire, tanto cum bono, ut ab ijs maiora, quæm præbent, virtutis documenta non postules. Constantem pudicæ feminae animum cum flectere ad obsequium viri impudens,

dens nec minis, nec muneribus posset, diu multumq.
quæsitam, tandem in deserto & ab arbitris remoto
loco solam offendit. hic eā ad flagitium inuitat, hor-
taur nolentē, cohībet reluctantem; apprehensisq.
manu crinibus diu raptat, pugnis cædit, pedibus con-
culcat ac proterit. vbi nihil impetrat, ad arborem
alligat, verberibusq. crudeliter accipit. ad extremū
cum furor cresceret, educto è vagina gladio, mortē
atrociter minitatur. at illa inuicto semper animo,
Malo, inquit, corporis mihi vitam assiduis cruciati-
bus eripi, quam creptum virginitatis florem cū sem-
piterno dedecore deplorare. Erat quò posset progre-
di nefaria hominis audacia, nisi quorundam retar-
daretur aduentus: sed quò progrederetur muliebris
constantia, nō erat. Pari in laude ponenda est alia mu-
lier, quæ se ad necem vsque vexari ac dilacerari ma-
luit, quam vt virginitatem, quæ à flagitioso homine
petebatur, amitteret. Atque hæc eò sunt admirati-
one digna maiore, quòd hoc hominum genus est
ad libidinem procliviissimum. Sed quid hæc argu-
menta colligimus, perceptæ semel ex disciplina no-
stra virtutis? Indus cum palam multa peccaret,
audissetq. à nostris, qui publicè peccasset, eum pu-
blicè quoque pœnitere oportere; nullius adhibito
consilio, tum cum diuina mysteria uniuersi populi
frequentia celebrabantur, in templum uenit, &
elata claraq. uoce summo doloris sensu sua scelera
patefecit. quæ res Prætorem, & qui præsentes ade-
rant, ita permonuit, ut lacrimas nō teneret. Alius cū

occasiones ademptæ, atque, ut uno verbo multæ
concludam, Societatis partes rite administratæ sunt.
Quodam in oppido vir primarius, desperata iam fi-
lij salute, Sacerdotem nostrum accersit, rogauitq. ut
filij salus ei curæ esset. Pater parentis perspecta fi-
ducia, I E S V Christi Euangelium in sinu pueri
religiose pronunciat: cuius religionis ea vis fuit, ut
non ita multo post semianimis puer habere melius,
& suis pedibus ingredi cœperit.

Huic Collegio Novitiorum ædes erant adiunctæ;
sed hoc anno opportuna visa res est, eas à Collegio
sciungere, & in Suburbio collocare, salubri loco &
per amœno. Eæ sunt B. Michaelis nomine, Deo
sacræ, annuis instructæ pecunijs ad aureos quadrin-
gentos, & eo amplius. facta est hac migratio deci-
mo quarto. Kal. Ian. quanta vicinorum gratulatio-
ne, dici vix potest: qui cum antea locorum interual-
lo, frui, ut aiebant, Societatis opportunitate nō pos-
sent; nunc noua hac vicinitate nostrorum, per-
beati sibi videntur; quod vñā, omnia si-
bi videantur natli præsidia ad pie
Christianæq. viuendum.



PROVINCIA BOETICA.



ND E C I M & quadringenti de nostris in Bætica Prouincia fuerūt. In Hispalensi Professorum Domo septem & quadraginta. In Collegio duodecim septuaginta. Cordubæ quatuor & octoginta. Granatae quatuor & quinquaginta. In Montelano Collegio duodequinquaginta. In Vaezano quinque circiter & viginti. In Malacensi septemdecim. Totidem in Marcensi. In Triguercensi duodeviginti. In Gadi-tano vnde viginti. Quatuordecim in Zerensi. Admisit hic Societas ad viginti. mortui sunt septem: In ijsq. Pater ipse Provincialis, quis suis laboribus atque industria huic Prouinciae plurimum attulit adiumenti.

PROFESSORVM DOMVS HI- spalensis & alia quædam Collegia.

IN Hispalensi Professorum Domo constans est celebritas hominum & conuentus ad Sacra-menta: idq: tum maxime cerni licuit, cum pro-merendi Iubilæi gratia, quod noui Pontificis li-beralitas uniuerso Christianorum orbi concessit,
Pæni-

Pænitentia, Eucharistiæq. fuerunt percipienda mysteria. Sex amplius hominum millia uno atque altero die cœlestibus apud nos epulis sunt excepta. Sed cum in omni munere recte nostri & cum utilitatis laude versantur, tum in animorum tutela perdiligerenter. Atque ut minuta dissimulemus; mulieres tredecim, quæ suis corporibus abutebantur ad quæstum; vel ad honesta sunt traductæ coniugia, vel, ne se amplius noxijs voluptatibus inquinarent, in tutis sedibus collocatae. imbutaq. de more plebs catechesi, non in Vrbe modo, sed etiam in Suburbijs, proximisq. pagis.

C O R D V B A E Iudeus quidam, cui iam Deus illuxit, baptismi causa ad nos se contulit; acceptisq. Christianæ legis initijs, summa populi celebritate in æde maxima baptizatus est. Eadem fors obtigit mulieri Turcæ, quæ quamquam impuris addicta sacris, longe abhorret à veritate; tamen diuini verbis aculeis acriter stimulata, Sacerdotem è nostris, quo cum ageret, flagitauit; ab eoq. edocta de more Christum, salutari fonte lustratur. Prohibiti sunt etiam ab inimicorum sanguine atque cæde nobiles clariq. ciues, quorum ex odijs mutuisq. dissensionibus luctuosa metuebantur exitia.

G R A N A T A E item ad animarum salutem acriter vigilatur. quibus quidem non modo publicis in templo concionibus, sed priuatis etiam in tradendo Catechismo sermonibus subuenitur. Adolescens nostrorum oratione permotus, mulierem, cuius usu ram corporis sibi ceperat, ad nos deduxit; adhibitoq.

Pæniten-

Penitentia Sacramento; legiti^m ambo matrimonij
fædere sunt coniuncti. Alius, qui viua uxore altera
duxerat, nuncium posteriori remisit, et ad superiorē
renuerit. Conuersæ sunt etiam iratorum mentes ad
æquitatem & pacem, eorum præsertim, quorum
eò usque progressæ erant inimicitiae, ut nisi duello
viderentur non posse discuti: commissaq. iam pene
pugna miras edidisset strages, nisi tempestive Socie
tas occurrisset. Ad domestica vero munera (id
quod de omnibus fere Collegijs accipiendum est)
acceſſerunt externa: & vna cum Archiepiscopo &
Pastore, reliquis etiam ouibus tota eius diœcesi di
ſpersis, opportuna pabula ministrata. quo quidem
tempore, quoniam propositum à Summo Pontifice
Iubileum consequi studebant omnes; ingens ille qui
dem in expiandis rite animis, sed tamen frugifer su
ſceptus est labor.

VÆZANVM ET RELIQVA Collegia.

IN VÆZANVO COLLEGIO inchoatum est
quoddam è nostris fratribus Seminarij, qui ad
eloquentiā informentur; ex quo plurima in reliqua
Provinciā deriuetur utilitas. Animorū autē curā
pro ſe quisque administrat egregie. Conuersus eſt ad
Christum pertinax Turca, qui in custodia seruabatur
ad necem: ne prius graderetur ad mortem; quam
per baptismum ingrederetur ad vitam. Compositæ
ſunt etiam inter inimicos gratiae: consulturaq. eoru
m, qui

GADIBVS apertum est humanitatis gymna-
sium; diu iam ab Episcopo ceterisq. nobilibus expe-
ctatum: attributiq. in eam rem quotannis aurei ab
eo nummi trecenti & quadraginta. nec ciuium in eo
desiderata benignitas; qui quamdiu Gymnastii opus
suo ære inchoatum, non sit perfectum, numquam ces-
sant de suis opibus impertire: cum tamen alijs in
rebus saepe nobis emolumento fuerint. ac ne
colligam uniuersa, quæ septingentorum
aurerorum summam & eo am-
plius efficiunt; nobilis semi-
na aureorum bis mil-
le nos scripsit ha-
redes.



PROVINCIA MEXICANA.



VNT in Mexicana Provincia sedes octo, fratres centum, & quinquaginta. In Collegio Mexicano circiter octoginta. In Angelopolitano duodecim. In Guaxacano duodecim. In Vallisoletano non plus quinque. In Tepotzotlana Residentia nouem. Undecim in Pascuensi. In Domo S. Crucis omnino septem. Uno plus in sede Manillæ. Adscripti sunt octo. Neminem toto quadriennio mors abstulit, quæ est cœli clementia, Deiq, Opt. Max, in seruanda nostrorum paucitate benignitas.

MEXICANVM COLLEGIVM.

MEXICANI agri fertilitas propter infinitam pene Hispanorum, Indorum, servitorumq. multitudinem tanta est, ut demetendis frumentibus opera desint. Sed quæ de frequenti hominum cœtu, siue ad audienda diuina verba, siue ad capessenda sacra mysteria, scripta sunt alias, nihil est, cur his litteris repetamus. Augentur quotidie conuentus ex eo hominum genere, qui misera egestate compulsi Mexicum nauigant; sed numquam tamen

ita sunt austri, ut cum Hispanias proxima famem
exercuit. Quo ex loco quoniam non sine rituæ distri-
mine plurimi soluunt (accidit enim fere semper, ut
vel nauigationis molestia, vel portus incommodo,
plerique graues ac periculosos morbos contrahant,
aut in ipso littore miserabiliter extinguantur) di-
uina bonitate comparatum est piorum hominum
subsidiū, qui his morbis aerumnisq. succurrant.
horum autem cum pietate, nostrorū se quoque pie-
tas studiumq. coniungit: qui suam proxime operam
tam strenue animis corporibusq. nauarunt, ut eis
oppido S. Crucis, quod sex dierum itinere Mexica
distat, egentes viros ac feminas partim curribus,
partim equis, septingentos in urbem inuixerint.
Est autem in urbe Domus ad id destinata sat ampla,
quam tres ipsos menses duo de nostris ingenti eo-
rum, qui laborabant, & voluptate & commoda
frequentarunt. Quod ad litteras attinet, ea tra-
duntur auditoribus ferme trecentis, non solum pri-
ma, & quæ latine tantum lingue cognitione, sed
etiam interiores, & quæ Philosophiae, ac Theologie
nomine continentur. atque ea est de nostrorum
cum docendi ratione, tum doctrinae præstantia opis-
tio hominum, ut non modo celebretur à iuuentute
Gymnasium, sed etiam petantur à præsulibus adiu-
menta doctorum. Aduocarunt enim nostros in con-
cilium suum Episcopi, ab ijsq. cum sui decreta
concilij redigi in ordinem voluerunt; tum cate-
chismi conficiendi negotium, quo tno omnes in
erudiendis Hispanis atque Indis riterentur, de-

derunt. Studium autem Mexicanæ linguae priuatōs intra parietes inchoatum, numquā intermititur. Itaque tanti in ea progressus habentur, vt magni Deo duce spes sit, fore, vt cū primū litterarū sua dia nostri persoluerint; uberrimo cum fructu nauent operam animis. Sane incredibilis est messis ubertas; que tantō celerius linguam nostris acuit, quantō expectatio utilitatis est maior. Cerni licet in patenti Collegij loco quatuor & eo amplius Indorum milia, tanto animi sensu, ac lacrimarum effusione concionatori nostro operam dare, vt vel eis sapenumero, qui ad hanc ipsam linguam surdi sunt, lacrimæ sponte profluant. Nec vero ad horam meliores fiunt, aut idem abeunt, qui venerant. ponunt quas attulerant noxias, & ad curandas animi plaga se repente conviertunt. Sacramentorum medicinas tam studiose querunt, vt ad nos vel agri, & qui non procul absunt à morte, in ipsis lectulis deportentur. Indus cum esset integer ac bene ualens, videre sibi vius est per quietem eximium quemdam splendorem lucis, et uocem huiuscmodi audire, Oœchitonā, hoc est, non ita multo post: quibus herbis non obscure sensit, supremum sibi prædicti diem, & finem adesse uitæ. Ergo ad eum se diem comparans, Domini, inquit, sum, nihil abnuo si ita fert diuinā noluntas: nec recuso quo minus hinc euolem. mox febris ardore correptus, deduci se iubet ad nosfros, & munit animum sacramentis: nec ita multo post, ut uox illa monuerat, ex his tenobris in illam lucem excessit. Longum est exempla congerere. mul-

ta sunt ad Indoru declarandam pietatem proximis
scripta litteris. Addatur hoc dumtaxat de puero
infante, cuius admirabilis obitus silentio prætereun
dus non videtur. qui quatuor natus annos, tanta au*t*
ditate Christianæ rudimenta legis arripiebat, ut
nullus ei lusus videretur esse iucundior: neque ea
ipse modo celeriter hauriebat, sed ea quoque soro
rem paruam, & qualesq. pueros edocebat. is cum in
mo**r**bum incidisset, continuo nostrorum apud Deum
susfragationes & preces petiit: & ad extremum Sa
cerdotem nostrum, qui migranti sibi adesset, ac
cessit, nocte media quasi missionis veniam à pa
rentibus petens, V alete, inquit, parentes mei, ad Pa
trem enim ascendo Deum. atque in his verbis ex
cessit è vita. Fratrem autem paucis diebus post, so
ror ipsa vnum atque alterum agens annum, ijsdem
verbis in ipsa vita clausula parentes affata, felici
exitu subsecuta est.

Sunt et in Mexicano Collegio, ut ceteris locis, sa
dalitates & contubernia, quibus cum utilitate So
cetas præst. Contubernia sunt duo, ex adolescenti
bus centum & triginta. Sodalitas non plus una,
Dei Matri dicata, è Sodalibus septuaginta: in qui
bus virtus & pietas primas habent: secundas, ut
par est, litteræ & sapientia: quarum illi quotidie ma
xima cum priuatum, tum publice dant inditia. Sed
sit iam huius Collegij finis, et reliqua, ut instituimus,
penstringamus.

IN TEPOTZOTLANA. Sede vni In
dorum saluti consulitur, & domesticos intra parie

tes Othomitarum lingua perdiscitur, cum propter ministrorum inopiam, tum propter multitudinem populorum. quorum lingua et si multis antea sudoribus parabatur, nunc partim opera industriaq. nostrorum, partim etiam alienis opibus atque adiumentis, reddita est ad docendum discendumq. facilior: ita ut sacerdotes quinque non longi temporis exercitatione, & expedite pro concione loquantur, & sine difficultate peregrinas confitentium voces agnoscant. Hæc ut plurimum ignoratur à Parochis: atque ob id ipsum multi sibi existimant à Societate animorum petenda esse præsidia. Numerum porro & frequentiam hominum par propè comitatur utilitas. pulsa est ex Indorum moribus, quæ in plurisque dominabatur ebrietas, atque ita pulsa, ut cū ad conuiuum à vicinis oppidis inuitentur, malint se ab eis despici ac derideri, quam ut vocantibus mōrē gerant. Appellantur per ludibrium Hypocritæ, & plenis nonnūquā poculis perfunduntur: alijsq. petuntur conuictijs ac maledictis; quæ tamen illi tam æquis & tam gaudientibus ferunt animis, ut eos ipsos, vnde sunt læsi, ad pœnitentiam persæpe reuocet. In miraculis id Hispani ducunt, homines eò usque vino deditos tam subito mutare naturam: in eoq. sacramentorum vim agnoscunt, quæ illi crebro, & cū pietate trattant. solent enim eius rei causa frequenter ex agris remotisq. locis hoc conuenire, tanto cum bono, ut ab ijs maiora, quæm præbent, virtutis documenta non postules. Constantem pudicæ feminæ animum cum flectere ad obsequium viri impudens.

dens nec minis, nec muneribus posset, diu multumq.
quaesitam, tandem in deserto & ab arbitris remoto
loco solam offendit. hic eā ad flagitium iuitat, hor-
taatur nolentē, cohībet reluctantem; apprehensisq.
manu crinibus diu raptat, pugnis cādit, pedibūs con-
culcat ac proterit. vbi nihil impetrat, ad arborem
alligat, verberibusq. crudeliter accipit. ad extremū
cum furor cresceret, educto ē vagina gladio, mortē
atrociter minitatur. at illa inuictō semper animo,
Malo, inquit, corporis mihi vitam assiduis cruciati-
bus eripi, quam creptum virginitatis florem cū sem-
piterno dedecore deplorare. Erat quō posset progre-
di nefaria hominis audacia, nisi quorumdam retar-
daretur aduentus: sed quō progredieretur muliebris
constantia, nō erat. Pari in laude ponenda est alia mu-
lier, quae se ad necem vsque vexari ac dilacerari ma-
luit, quam vt virginitatem, quae à flagitioso homine
petebatur, amitteret. Atque hæc eò sunt admirati-
one digna maiore, quod hoc hominum genus est
ad libidinem proclivissimum. Sed quid hæc argu-
menta colligimus, perceptæ semel ex disciplina no-
stra virtutis? Indus cum palam multa peccaret,
audissetq. à nostris, qui publicè peccasset, eum pu-
blicè quoque pœnitere oportere; nullius adhibito
consilio, tum cum diuina mysteria uniuersi populi
frequentia celebrabantur, in templum uenit, &
elata claraq. uoce summo doloris sensu sua scelera
patefecit. quæ res Prætorem, & qui præsentes ade-
rant, ita permouit, ut lacrimas nō teneret. Alius cū

ad magnas diuitias vi ac rapina, nullis suis sudoribus peruenisset; edoctus pro concione, quæ male parata essent, dominis esse reddenda; nulla habita persona ratione, Prætorem continuo adit, & clandestina sua furta rapinasq. commemorat: conuocari iubet eos, quibus se aliquid debere cognosceret; & è re sua familiari, ingenti hominum admiratione, optima ijs quæque distribuit. Idem salutis studium locis in finitimiis cernitur. Pagos obeunti Sacerdoti nostro Indus occurrit, eumq. velut numen aliquod reverens, suas deductum in ædes tecto excipit. hic ei permultas Beatorum Sanctorumq. virorum imagines, eleganter sciteq. pietas ostendit. prodit sacros calices, & cetera templi ornamenta non pauca; futuræq. ædis monstrat initia. Tum ad Patrem, Quorsum hæc, inquit, omnia, nisi vt, que tam copiose Te-potzotlani se exhibet diuina misericordia, ea apud nos quoque aliquando diuertat? Cum autem hic ipse Sacerdos in exiguum remotamq. casam deuījs itineribus incidisset, duos offendit Indos, non minus morbo, quam aestate confectos; qui toto vitæ tempore confessionis medicinia caruerant. his ille consitentibus vix aures dedit, cum extrellum vitæ spiritum sane quam feliciter ediderunt. Postea ex itinere euocatus ab ægro, qui ex senectute animam prope agebat; maximo fuit seni ipsi solatio: vt enim Patrem aeger aspexit, lacrimas præ voluptate fudit, statimq. ad amplexum exiliens. Nunc demum, inquit, mihi spes salutis ostenditur, cum te hoc contulisti. hunc Pater hortatur, primum, vt immortali Deo

gra-

gratiam habeat; deinde rubore pulso, peccatorum euomat virus. Senex vbi erigere animum & respirare cœpit, à primis incunabulis dicendi serient orditur. narrat parentes suos in Idolorum semper cultu versatos, se ab illis ne baptizaretur, absconditum, monitumq. à parente venefica, ne vñquam ab aucto ritu discederet: se vero materna secutum consilia, Christianam simulasse fidem, fictoq. semper animo ad pœnitentiae sacramentum accessisse: dolore tamen facto, & grauiter angi; diuq. opportunitatem optasse, ut tot animi sordes vera confessione dilueret; sed timore perterritum alteri sese credere, præterquam Tepotzotlanis patribus numquā au sum: quod ceteri ex tot scelerum ac flagitiorum commemoratione ad iracundiam potius ac furorē, quā ad miserationem & lacrimas mouerentur: Tepotzotlani vero patres nihil mirarentur huiusmodi. Quid multa? baptismo tandem renatus, quem à Sacerdote nostro multis precibus impetravit; Sacramentisq. nouissimis confirmatus, extremum vitæ diem placida morte confecit. Sacerdos alius cum hæc eadem oppida peragraret, homines amplius centum, qui non tam matrimonij amore, quam voluptatis æstu, feminas sibi ipsi desponderant, & ad alienas flagitiose diuerterant; ad sanctitatem frugemq. traduxit. Oppidi cuiusdam incole, cum ad res diuinæ vix fustibus, ac ne vix quidem compelli à suo Parocho possent, Sacerdotem nostrum concionantem tā benevolis animis audierunt; vt præter assiduos fletus, quibus dicontem prosecuti sunt; postea secundū concio-

concionem, quotquot aderant vniuersi (innumerabilis enim turba confluxerat) perbeati sibi viderentur, si vel summis digitis prætereuntis vestimenta contingenter.

XALATLA CVM etiam & Guanaxuatū ad auri fodinas excusum est. quatuor hic menses habendis ad frequentem populum de re diuina sermonibus, componendisq. cum controuersiis, tum conscientijs hominum, laboratum est. Xalatlaci autem eadem sedulitate diuina verba sunt facta. quo in loco ea fuit villarum atque Oppidorum in nostrorum aduentu laetitia, ut frequenti campanarum pulsu festum agerent diem. Concurribat Paganorum turba permulta, ut Christianæ fidei rudimenta perdisserent: nec pauci ad sobrietatem ac temperantiam ex diuturnis popinarum ac lustrorū tenebris emerserunt. Sed quamquam iucundus fuit nostrorum aduentus, mora tamen multo iucundior, ut indicauit discessus: quem eæ subsecutæ sunt lacrimæ, ut nisi nocturnis tecti tenebris emigrarent, plus dierum retineretur inuiti. Sed ut se relictos senserūt à nostris, ecce tibi, alijs per omnes viarum aditus facto agmine ad quærendos reuocandosq. Patres accurrunt: alijs parant munera, unde morentur allectos: alijs per litteras Archiepiscopi nutum & gratiam interponunt: alijs denique viginti & eo amplius milliaribus peragratis, Rectorem adeunt, perfusiq. lacrimis, eiusq. pedibus aduoluti, non prius supplicandi finem faciunt, quam in suam patriam Sacerdotem nostrū Mexico reuehant.

COLLEGIVM ANGELOPO,
litanum.

ANGELOPOLITANVM Collegium, quæ Societatis in his locis existimatio est, una Ciuiu liberalitas alit. Præsunt scholis magistri, quatuor: tres erudiendis humanitate puerulis: quartus expediendis conscientiæ nodis. & quamquam discipulorum frequentia non deest, auget eam tamē inchoatum quoddam ex adolescentibus Seminariū, qui & doctrinis & moribus pectus excolunt. horum ad virtutem cursus sāpe prouehit ad Cenobium: & vt probitate, sic commodis augentur: Sacerdos enim inuentus est diues, qui annuos eis redditus aureorum mille in sempiternū tempus assiginet. Iam vbi ab erudienda inuentute discessimus, in reliquos studia nostra conuertimus. Indi curantur in præmis, quorum magna turba opificijs lanæ, quæ sunt in ciuitate permulta, mancipiorum instar addicitur. Hi festis anni diebus, vt ad pietatem informentur, conueniunt ipsimet nostros; profestis autem adeuntur à nostris. quæ res quantæ fuerit utilitatis & gloriæ Dei, testata est animorum pene innumerabilis expiatio. Ab his Ciuibus Indisq. domesticis ad exteriores quoque et peregrinos Indos egredimur. Theutlalcum Prouincia quedam est impijs referta superstitutionibus fictisq. Dijs; hinc enim Theutlalci nomen accepit. hoc se nostri rogatu Episcopi cum contulissent; non pauca Idololatriæ uestigia in abditis antris

antris, excelsisq. collibus repererunt. nulla hic de-
fuit de re christiana benemerèdi facultas. fuit aspe-
ra & montuosa via, cum pernicioſis infesta bestio-
lis, tum calore maximo, affiduisq. interdum imbri-
bus peragranda: & quod caput est in vberima re-
perta messé, acriter pro animis vigilandum. Septua-
ginta circiter populi ab uno dumtaxat Parochio &
Sacerdote reguntur. ita (quod necesse est) alta insci-
tiæ nox, & crassissimæ tenebræ in omnium animis
versabantur. Magna colebatur Deorum varietas:
compluresq. sacrificabant igni; qui præstantissimus
eſset, vt suas ille res pateretur intactas atque in-
columnes. alij in honore venationis Deos habebant:
alij seminum ac nucleorum. Erant & apud eos ver-
ba quædam, quibus enuntiatis, cuiusvis generis ani-
mantes feræ vltro veniebant ad manus. Ebrietas,
iracundia, libido præcipiam sibi sedem & locum in
eorum animis vendicabant. Indi nostrorum auditio
nuntio, ingenti voluptate perfusi, confestim tubis,
& buccinis occurrerunt: et repetito crebra per in-
terualla sonitu ac clamore exceptos deduxerunt in
oppida. Eforibus valuisq. Templi, viri Principes
ad osculandas Patrum manus, fertis redimiti roseis
procedebant; & puerorum puellari: mq. ducentes
choros, pulsus pedum numerumq. vocum ære cam-
pano modulabantur. atque hoc ornatu prodibatur
obuiam. Itaque tanta facta est nostrorum aduentu
animorum voluntatumq. nutatio, vt Deorum, quos
antea colebant simulacra ad Patrum pedes abi-
cerent atque profererent: odia ponerent, et p̄cis ac
bene-

benevolentiae scripta sedera, pœnis utrinque propo-
sitis, datisq. publice complexibus, confirmarent. Est
et ebrietati frenum, quæ longe lateq. patebat, inie-
ctum: ut toto Paschatis tempore, id quod in miracu-
lis numeratur, ebrius nemo sit factus. Initia ratio-
est, qua christiana disciplinae principia vel ab indo-
Etis ac rudibus tenerentur. Pacatae conscientiae mul-
torum, qui in tanta superstitionum cœcitate versa-
bantur, ut nec suas ipsi flagitorum plagas inspice-
re, nec inspici sanariq. se paterentur ab alijs. Institu-
ta præterea frequens est supplicatio eorum, qui pie-
tatis nomine acriter se ipsi pulsarent: datusq. salu-
tis cibus innumerabili penè virorum ac feminarum
multitudini: qui cum ex intimo sensu diuinaq. dul-
cedine lacrimis ora complerent, et ad sacram men-
sam monilibus ornati roseis, coronisq. per pulchris
accederent; diemq. totum agendis bonorum omnium
auctori gratijs in templo constarent; sane quam in-
genti nostros perfudere letitia.

I N D O M O S. Crucis semper aliquid ad ani-
morum et corporum utilitatem affertur. cum enim
urbis haec à portu non procul absit, ijs qui vel in Hi-
spaniā, vel ex Hispania Mexicum nauigant, nostra
rū charitas in nauī, in littore, in portu, in Hospitali
Domo semper est præstò. nam in hundis ciuiū com-
modis, quorum fere semper ob maritos aestus va-
letudo tentatur, adeo sedulo nostri versantur; ut nō
nulli graues sœpe morbos et pericula incurant.
Non minus oneris laborisq. suscipitur in animorū
periculis propulsandis. dat hanc facultatem Ciuitas
ipsa

ipsa ex Hispanis, Aethiopibus, Indisq. conflata: vbi rapinis ac furtis, vsuris ac fænerationibus cuncta miscentur. quibus tamen incommodis (vt sunt plerique optime in nos animati) facile obuiam itur.

G V A X A C I etiam admirabilis mutatio morum Societatis aduentu consecuta est. Ponitur præcipuum studium in animorum Indorumq. tutela, qui quamquam idoneum Pastorem minime desiderant, tamen, vt sunt præclaræ erga nos voluntate, nihil malunt vel aduersa valetudine vel secundas quam nostrorum ope præsidioq. invauri. Hi cum animaduerterent Téplum oppidi, vbi conciones habebantur à nostris, & res diuinæ siebat, nequaquam satis accommodatum esse frequentiæ hominumq. celebritati; multo nobis ampliorēm ædem incredibili letitia ac celeritate suis ipsi manib[us] exstruxerunt. Locus est Mexicanæ, Capotecæ, Mistecæq. linguis quam aptissimus perdiscendis: vbi Seminarium à nostris institui possit, quib[us] harum liguarum varietate p[re]cepta, omnem postea huius Regionis amplitudinem, maximo animorum questu percurrent. Hispanorum par in Societatem amor; vt declarat benignitas: quicquid enim necessitas exigit, cumulate suppeditant: aureosq. emendis dederunt ædibus mille quingentos. In curandis vero animis ita nos adhibent, vt hi vni satis occupatos impeditosq. nos habeant.

I N . M A N I L L A E Sede quintū, iam annum varijs nostri muneribus distinentur interimq. dum incolarum sermonibus assuecant, in qua re plu-

plurimum studij operæq. consumunt; Hispanis, quorum in hac vrbe magna vis est, sese totos imperiunt. Is est autem in his Insulis loci situs, vt de rebus, quæ uel Mexici, vel apud Sinas, vel etiam in Iaponia nostri gesserint, vicissim se per litteras doceant: nec enim à Iaponia plus dierum octo, à Sinis vna nauigatione plus abest: vt non modo litteræ, sed ipsi quoque homines ultro citroque commeent. Sinæ Sacerdos, et Mercator earum rerum fama permoti, quæ in Macham Xauquiniq. geruntur à nostris, & Chinhei Prouincia sponte huc baptismi causa venerunt. hos Gubernator, ne propinquorum, qui mercaturæ causa Manillam celebrant, uultus iramq. subirent (hoc enim nomine ab ijs grauiter vexabantur) ad Mexicanum Archiepiscopum misit: hic autem erudiendos ad nostros. qui, vt valent ingenuo, nostras subito litteras, et catechismi partem arripuerunt, Hispanaq. verba complura: breui ut in Hispaniam eos Archiepiscopus mittat solenni ritu apparatuq. magnifico baptizandos.

PASCVARENSE COLLEGIVM.

PA SCVARI Dei beneficio atque auxilio satis copiosus apparebat domesticæ fructus industria. nam cum Patres non plus duo linguam tenebrent Indicam, nec tot tantisq. rebus pares vires afferreret; diuina liberalitas fecit, ut Sacerdotes ex ijs, qui ab Hispania superiorc anno sunt missi, tam breui

breui nocti sint lingua, ut nusquam maiore cum laude uideantur esse uersati. Incunte anno, eo die, qui est Regum ad Christum aduentu toto orbe Christiano nobilitatus, cū in æde nostra collocanda esset unā cum sacrorum cinerum non paruo numero, Dei Parentis effigies; promulgatum est multo ante, ijs, qui expiatis rite mentibus interessent, publicum Iubileum. quæ res tam multos è longinquis uarijsq. locis ad salutarem peccatorum confessionem conuocat, ut in ijs audiendis tres totas hebdomadas assidue opera collocata sit. Ardentissima est omnium erga hanc Virginem pietas: solent ægra puerorum corpora, quæ non ita multo ante ad ueneficas deferabant, nullo nunc alio medicamento, nisi uel auditis in Dei Matris sacello Lyturgiæ mysterijs, recitatoq. Euangelijs; uel benedictæ aspersione aquæ curare: quam Deus sæpe fidem multis restituenda salute remuneratur. Par studium in Ecclesiæ colendis mysterijs. nihil æque dolent, ut eorum uicem, qui diem sine sacramentis obierint. Moriens ex partu mulier non tam suis doloribus angebatur, quam quod Sacerdotis copia, cui confiteretur, non esset. Et quamquam granioris sibi culpæ conscientia non esset, tamen à matre contendit, ut postridie ad Sacerdotem adiret, suoq. nomine aliquot ei noxas exponeret. postea iussit omnes tantisper abesse, dum datis in celum clamoribus, Deo ipsi confiteretur. atque hoc animi sensu, corporis oblita dolorum, lamentabiles inter voces atque singultus excessit. mater dolore amens, matutinis ad nos tenebris aduolat, suo filiæq. nomine con-

ne confessionem parat, suam vicem misera deflens,
tui sine confessionis sacramēto filia decessisset. Sed
vt Indorum pietatē in capiendis sacramentis Deus,
sic nostrorum in præbendis officium probari sibi
non obscure significat. Quidam cum sine ullasse
frugis omnem libidinum contumeliam turpitudi-
nemq. subiret, cæptus est diuino consilio, assiduo
quodam dolorum æstu iactari. noctu cum Dei Matrē
suppliciter imploraret, visus est admoneri voce qua-
dam ex occulto missa, nullam leuationem morbi fo-
re, nisi se ad nostros medicinæ causa conferret.
paruit Indus, & sanitatem corporis mentis integri-
tas subsequuta est. Indo alij cum moreretur uxor,
testamento mandauit, ut pecuniam sua ex ueste re-
dactam in sacrificia Sacerdotibus erogaret. hanc
uir pecuniam ueste uendita non exegit. interim is
quoque moritur, mandatis Coniugis non exhaustis.
nocte in sequenti cadauer laniatur à lupis, ossibus
toto agro dispersis, ubi humatum erat. hæc Indus
peramicus homini cum transiret, diligenter ossa col-
legit, iterumq. sepulchro condidit. postea ad placan-
dum defuncto numen, sacrum funebre curat. con-
cubia nocte uisus est in somnijs amicus, qui de sepul-
tura gratijs actis, Sic, inquit, habeto, hanc mei cor-
poris dilacerationem nutu accidisse diuino, quod ne-
gligenter coniugis mandata curarim. itaque tamdiu
his ego ignibus purgo maculam, quamdiu tu tua se-
ceris diligentia, ut, quod æs mulier imperaverat,
exigatur, & Sacerdotibus diuidatur. Experrellitus
Indus cum se collegisset, idq. uision pro nihilo ha-

N bendum

bendum esse duxisset, ipse quoque mortui mandata
contempsit. non ita multo post id iterum ab eo mo-
netur, & quidem irato atrocior. vultu. quo circa In-
dus timore perterritus nostros conuenit, enarratq.
somnium, corūq. consilio exactis ab emptore pecu-
nijs, & pro vxore, & pro viro rem diuinam pro-
curat. ita quies est data mortuo, & somnij veritas
comprobata. Indus alius, cui deceperat vxor, admo-
nitus ab ea est in quiete, ut sacrificium fieri à Sacer-
dote nostro iuberet, sperare se eo posse subsidio, ab
ijs cruciatibus, in quibus tum detinebatur, absoluī.
Quod ipsu*n*u*ni*i tam auide postulant, præsertim ap-
propinquante morte, ut in eo maximam su*&* salutis
spem sitam putent. Non erimus in his multi, quæ
proximis litteris testatissima iam debent esse. hoc
tantum dicimus, genus hoc hominum, ut egregia in
Deum pietate, ita singulari esse erga Dei ministros,
Societatemq. benevolentia. Multi uel è disiunctis
ad nos locis sola famæ celebritate se conferunt: quæ
quidem fama non ad eos solum, qui Christianæ iam
legi & institutis obtemperant, sed etiam ad hostes
Christiani nominis et Chichimecas penetrauit. Chi-
chimecae enim cum Hispanorum sanguinem sitiant,
eosq. assiduis excursionibus insectentur ac peri-
mant; illud tamen habent in ore, quicquid impere-
tur à nostris, se id omne facturos, nec recusatueros,
quominus Christianos ab eis ritus et instituta per-
cipiant. Non minor Hispanorum est in nos amor, qui
emolumenti nostri gratia de suis opibus multa de-
trahunt; nam præter ea, quæ in usus uitæ nostræ

quo-

quotidie conferunt, pecunias etiā ad exst ruendū am plissimum templū, laxandasq. tectorū angustias, sup peditarunt. Dum autē laxioris ædificij fōditur funda mentū, muliebre cadauer integrū, incorruptūq. repertū est, specie habituq. verendo: satis efficax argumētum Indicē probitatis: nā fieri id occulta aliqua loci natura non potuisse, intellectū est, cū ex alijs ca daueribus iuxta sitis, quæ iā dies absumpsit, in cine rēq. redigit; tū ex testimonio decrepiti senis, qui in eo loco virginem olim quamdā sepultam esse dicebat, ex Indis illis, quæ in Cænobio quodā ab Episco po Vasco de Quiroga instituto, castimonia virtutūq. optimarū exercitatione custodiebātur: ut nobis quo que Deus, quos ad hæc tempora roseruauit, videatur hoc uoluisse prodigio. cum illius Episcopi, de quo proximo anno dicebamus, tum illorum temporum sanctitatēm esse testatā. Iam ex pagis oppidisq. fructus nō dissimiles extiterunt. Allata lux est multis, qui in magnis inscitiae tenebris versabantur: nā & qui nihil de paenitētiae sacramēto prope norāt, et qui in eo obeundo multa tetra ac nefaria, partim int̄cep siuo quodā rubore, partim dæmonis terrore tacuerant; auditō Sacerdote nostro, ad expiādos sese rite animos contulerūt, et à vitiorū illecebris anocarūt. quorū ea turba fuit, vt in audiēdis muliebribus cōfessionibus diurna sēpe spatia, in virilibus nocturna tota cōsumerentur. Nec ea una fuit concionātis Sacerdotis vilitas. Mulier honesto loco nata, patrem cum audisset de vitiorum turpitudine differentem, vt perorauit, supplex sese ei ad pedes abiecit, Deo

gratulans immortali, quod deniq. nacta esset, qui secreta in Deū admissa & perinquo ferret animo, & orationis, qua pars est, granitate dānaret. ea enim, cū ludi festiq. populi dies, bacchanaliū more celebrare tur, mærore oppressa, quod tā multa peccarentur in Deū; in obscurū se cubiculū abdidit, & ad lacrimas luctūq. conuertit. quo in recessu luctum auxit repentinus Christi conspectus, qui cū suā præsentiam fēmina declararet, talemq. se, ut quondam ab impijs suffixus est cruci, crebrisq. plagis cruentatus, ostenderet, Animaduerte, inquit, quam me aspere hic populus tractet? quibus verbis tanta se denuo lacrimarū copia perfudit, ut temperare mulier sibi ipsa non posset. Alijs in pagis admirationem nostris attulit hominum pietas ac reuerentia, quæ cum in consitendis sua sponte peccatis, tum in exequendis, que præscriberentur à patribus, cerni licuit. si qua eis pœnaruī loco imperabatur inedia, si qua precatio, numquam se functos putabant officio, nisi verbera ieiunijs, voluntaria supplicia precibus misceretur. Erat ubique frequens vniuersi populi verberatio, ingens ubiq. desiderium nostrorum, ubiq. populorum effusiones nostris aduentantibus occurrentium: & suis quisque munētibus oneratus, nō vulgarem gratiā animi significationē dabat. Sacerdos è nostris multis rebus præclare gestis, cū domū reueteretur, ecce tibi obuiā mæsta fletibus mulier, quod falso adulterij crime delata esset ad virū: cui mentē sic abstulerat dolor, ut herbarum epoto succo, iniectisq. sibi ligone plagiis, propositoq. laqueo, sinefsum sibi moliretur

tur exitium: sed cum horum nihil diuina voluntate procederet, statuit in recessu aliquo sese inedia sumeq. confidere: iamq. biduum tenero cum filio, nullo cibo potuq. transegerat, cum commodum pater a fuit, & mulieri persuasit, ut suæ vitæ parceret, & secum ipsa rediret in gratiam. Huiusmodi sunt, quæ in his agris pagisq. geruntur: ac nisi nostrorum numerus tam esset exiguis, melius cum animis age retur: amplissimus enim non ad augendam modo Christianos apud populos Christi legem, sed ad inferendum quoque inter frequentes & vicinos ethnicos Euangelium, patet campus.

Ad nouæ Galitiæ urbem, vbi Regium Senatum tribunal est, assidua Episcopi postulatione patres duo, uno fratre comite missi sunt. Horum etiam totus utilis labor fuit: excitarunt animos ciuium, & clerum universum ad omnem laudem decusq. pietatis: nec quicquam Ciuitas ipsa tam optat, quam Societas in urbe Collegium: redditusq. ad eam rem non tenues, nec incommodos defert: sed nostrorum paucitas facit, ut quānis magnus in hac regione campus strenuissimi cuiusq. laboribus se aperiat; tamen cogitandum potius Societati sit, quemadmodum receptas sedes domosq. tueatur, quam ut de nouarum sedium possessione laboret.

MISSIO AD CHICHIMECAS.

AD CHICHIMECAS populos, barbarerum genus hominum & inhumanum profècti sunt dho, ut eos ad humanitatis partem aliquam

reuocarent: nam quamuis quindecim passuum milibus non plus distent, tamen qui ad eos ex Euangelij ministris velint accedere, & periculis se oppondere, paucissimi reperiuntur: arcent enim sua feritate ministros; compluresq. quamquam verbo Christiani sunt, vita tamē et moribus prorsus ethnicī. multisq. in locis Christianæ legis doctorem, vigesimum iam annum non viderunt: alij vero post suscepitum suo in ortu baptismum, ne verbum quidem de animorum salute, rebusue cœlestibus acceperunt. alibi contentiones, dissidia, cœdes honoris loco ducebantur. apud alios ebrietas, ac libido non tam virtio ac dedecori, quam virtuti ac laudi vertebatur. alij nefarijs superstitutionibus implicati tantis inscitiæ tenebris vrebantur, ut cum ad eos nostri venerunt, in densissimam sibi viderentur Aegypti noctem ac tenebras descendisse. sed qui potens est suscitare de lapidibus filios Abrahæ, is cœpit Euangeliū lumine, usitatisq. sacramentorum præsidij, omnes dæmonis fallacias machinasq. disoluere. Quia in re ita eum nostri habuere propitium, ut suo aduentu omnia longe lateq. incenderint ac permutarint. accurabant audissime populi ad catechismum & concionem: nec quicquam tam diligenter curabant, quam ut diuina mysteria rite & cum laude susciperent. quamquam ne Dei quidem testimonia, quibus vel nostrorum labores, vel Euangeliū veritatem comprobauerint, defuerunt. Indus vino deditus, cum Pænitentia beneficio naturam tandem vicisset, & ad sobrietatem se reuocasset, candidum

didum dicitur adolescentem per quietē vidisse, qui
cum prehensa manu ad compotatorum cætum con-
uiuumq. deduceret: ibi animaduertisse eorum, qui
accumbebant vultus, primo quoque poculo hausto,
mutari deiformesq. fieri: qui vero pergeret perpetu-
re, et crebris poculis indulgerent; eos sædissimo ore
simillimosq. dæmonum evadere: dixisseq. adoles-
centem, tales effici eos, qui se vino & ebrietatibus
dedissent: Indus autem sobrius esse cœpisse, & in-
credibilem quemdam temperantiæ amorem animo
concepisse. Sed ut huius Deus intemperantiæ ebrie-
tatemq. blando placidoq. viso, sic alterius libidinem
tetrī spectris plagisq. sanavit: Alebat hic domi
suæ in oculis coniugis concubinam, non tam Vene-
rem ut expleret, quām ut coniugem irritaret. huic
nocturnas per tenebras visam esse aiunt horribilē
cateruā dæmonum, qui cubantis prementes fauces,
animam intercluderent: ut ne manum quidē admo-
uere posset ad imprimendum pectori crucis signum:
verum implorata à coniuge, Dei Matre, melius ei
esse factum. postero die venit Indus ad nostros, po-
sitisq. rite noxit, sic deinceps est immutatus, ut nō
cognoscas eum dē esse. Alij quoque cum diu multūq.
à recto itinere aberrassent, partim pænitentiæ bene-
ficio, partim visis quibusdā retulerunt pedem, & se
in viam reuocarunt. Indus uero, qui ad omnem im-
probitatem dæmonce peruerenerat, toto corpore
contremiscens ad Sacerdotem nostrum adiit; roga-
tusq. à patre, quæ causa esset tantæ formidinis, cum
lacrimis fletuq. respondit, superiore nocte uisum à se

dæmones truci vultu, quisese ad inferorum incēdia
 conarentur abripere; sed precibus ad Dei Matrem
 fūsis, & salutari signo crucis expresso, ex eorum ma-
 nibus euassisse. Iure suo hunc dæmones ad tartara
 rapiebat: dederat enim sese eis Indus, ijsq. auctori-
 bus, sublata omni salutarium rerum memoria, præ-
 ceps per vitia more pecudum vagabatur, nullum
 non scelus meditans ac flagitium, donec errantem
 ouem bonus pastor ad sua septa reduxit. Is postea
 sèpius lautum venit confessione peccata, & nunc
 tantò melioribus studet moribus, quantò antea vi-
 rijs fædioribus vngebatur. Inda vero morbo pesti-
 fero intabescens, cù Deū multo ante precata esset,
 ne prius animus corpore, quā confessione sceleribus
 solueretur; simul ac peccatorum vincula laxauit, cor-
 poris quoque vinculis est soluta. nunc ea regione
 fruicit, ut speramus, in qua nec morbos umquam
 sentiet, nec interitum pertimescat. Atque in
 hoc cursu Mexicanæ res nostræ sunt: es-
 sent etiam in meliore, nisi ager hic
 alias operas cultoresq.
 requireret.



PROVINCIA POLONIA.



SE C VNT in amplissima Polonia Provincia trecenti circiter & sexaginta de Nostris. Bransbergæ duodecim quadragesita. Septem & viginti Pultouïæ. totidem Claudiopoli. Vilnae quinque & quadraginta. Posnaniæ tres & triginta. Iaroslauij quinque & viginti. Polocij decem. Lubrini nouem. totidem Cracouïæ. Rigæ undecim. totidem in Calissensi. totidemq. in Derpatensi Collegio. In Alba Iuliae sede non plures octo. In Varadinensi tres. reliqui in pagis oppidisq. dispersi. Sex mortuis sunt. tres & viginti recepti.

BRANSBERGENSE, PULTO-
uiense, & Vilnense Collegia.

DE G V N T in Bransbergensi Collegio, præter scholasticos, nouitij fere viginti: omnesq. in eo sunt toti, ut quotidiana progressione virtutis, tales se breui singant atque instituat, quales optat et requirit Societas. E Seminario Pontificio, quod huic subiectum esse Collegio, alijs litteris demonstratum est, due tamquā Coloniae in alia loca deductæ sunt: altera

altera è præcipuis alumnis vndecim, ad explenda Seminarij Vilnensis initia, adhuc informis & ru-
dis: altera ex atate imbecilliore, ad inchoandum Torpati Seminarium in extrema fere Liuonia.
Crescit & pauperum discipulorum, de quo etiam alias diximus, contubernium: in eoq. tum aliorum,
tum maxime Episcopi liberalitate, triginta circiter adolescentes aluntur. quin etiam cæptum est
suis instrui redditibus ac fortunis, quas propediem
auctum iri spes est.

Iam Nostrí partim confessionum concionumq.
muneribus, ad quas Iubilæi præsertim tempore
inusatati hominum concursus facti sunt; partim
etiam locis finitimiis peragrandis, ceterorumq. ad-
ministratione munerum, animorum salute in tuen-
dam sibi existimarunt. Sed cum omni hominum
generi, tum ijs, qui in alta hæresum nocte Anda-
batarum more vagabantur, bene consultum est. ex
his enim duo & sexaginta ad veritatis lucem vo-
catis sunt. In Pomerania vero n. inimum decem,
& in his vir nobilis, multorum Præfectus op-
pidorum; qui suscepitus & educatus in hæresi, tanto
postea cum ardore veritatem, quam didicit, adama-
uit, ut suis tum moribus tum consilijs plurimum
profuerit oppidânis. Atque hæc Bransbergæ præci-
pua.

P V I T O V I A E autem ex ijs, qui se exerci-
tijs spiritualibus ad pietatem informandos dede-
runt, qui nec pauci, nec contempnendi fuerunt, ad
Societatem adiectus est unus: cumq. plures in re-
ligionis

ligionis proposito confirmati, tum decem à patria
secta ac vanitate diuulsi. Sunt & huic Collegio
beneficii sui, nec iij modò vulgares aut de populo, sed
nobiles ac primarij: in ijsq. ipsa Regina, quæ ut pri-
mas obtinet dignitatis, sic amoris & liberalitatis.
ea non modo pretiosissimis ædem nostram aulæis
vesteque plurima locupletauit, sed, quod omnem mu-
nerum largitatem excedit, sacrum etiam regis Vn-
garici Ladislai caput, quod antea regijs in thesau-
ris sine honore latebat, ad nos transfluit: vt qui in
terris, Poloniæ reges habet suæ fautores religionis,
iij sibi apud Deum esse è regia quoque stirpe depre-
catores intelligent, quos implorare dies ac noctes
ad eiusdem religionis tutelam priuatos intra parie-
tes commodissime liceat.

V I L N A E nostri nulla magis in re, quam
in fouendis, vel reparandis animis acquiescent,
aggregati sunt ad Societatem quatuordecim, ad
Catholicos nouem, Gymnasii fructus ac Sodalityj:
tradidit enim se nostram in disciplinam etiam qui in
hæresi schismateque versantur; quorum postea men-
tes melioribus imbutæ studijs atque præceptis, faci-
le flectuntur ad veritatem. è ceteris resipuere quin-
que & triginta: prosuntq. ad eam rem magnopere
tum explanatio publica catechesis, tum variæ ac
multiplices conciones. schismatici restituti sunt amplius septuaginta; & in his diuitum parentum filia,
paretibus perinuitis, qui, ea saepius à proposito fru-
stra deterrita, furore amètes negotiis dant filio, ut so-
rore crudeliter necet, & in frustra dissettante linteis
sub

sub inuolucris ad se perferat . sed repressit vibrans
tis sicam vis amoris fraterni; & necessitudinis me-
mor, blande potius sororem cohortādam frater pu-
tauit, quam vt in domesticum ac germanum sangu-
inem manus mitteret . sed cum constantem in senten-
cia reperisset, in Sacerdotem nostrum , qui ei erat à
confessionibus, vertit iras in hunc tantum non intor-
sit impegitq. bombardam, id quod saepe frustra ten-
tarat: plus enim valuit diuina cura, quam insidian-
tis inuidia, qua necesse est disrumpatur, dum nec pū
nire dolorem potest, interimendo patre; nec suæ obse
qui impietati, conuellenda sorore. Non in vnius Ci-
uitatis angustijs nostrorum se charitas dilatauit. vi-
cinitatem percurrit omnem, & miro animorum cō-
pendio, pagorum egestati subuenit . Ac præter cete-
ras ciuiusq. profectionis vtilitates (nam præcipua
modo perstringimus) in Samogitia hæretici cum Ec-
clesia coniuncti sunt nouem, Schismaticus vnuus; cō
pluresq. in fide nutantes constantiores effecti. In
Seruitensi oppido expiati sunt baptismo pueri quin-
quaginta. & cum in Nemerensi profectione Zuin-
gianus, tum in Tunensi tres ad Catholicos accesser-
runt: totidemq. in Susanensi cum Moscho. Nec mi-
nus Olitensis, & Smodeccensis fuere frugiferæ: qua-
rum in altera cum multis iam annos oppidanis sac-
ramento non caperent, ac ne templum quidem pe-
terent, vel concionatoribus darent operam, incredibi-
lili sane dolore Parochi, qui in tam duro solo nibil
posse profici querebatur ; Pater conueniendum sibi
putauit oppidi senatorem, monendumq. sibi esse alii-
quid

quid, quod ad Senatum referret. quo coacto Senatoris iussu niituq. cum de nostrorum in obeundis pagis instituto pluribus disputasset, causamq. sui adventus exposuisset; rogauit ad extremum, ut Senatus quoque pro ea qua esset pietate in tuenda ciuiū salute, Societatis conatus studiaq. innaret: nihil vtilius Ecclesiae, nihil Deo gratius futurum. Senatus sumpto ad deliberandum spatio, sua auctoritate decreuit, ut primum Senatores ipsi, tum patres familias, ac deinceps familie reliqua vniuersae rite animos expiarent: duplaremq. ciuium omnium conscribi indicem, quorum alter Patri, alter duobus ciuibus traderetur; à quibus diligenter obseruaretur, quemadmodum Senatus mandata custodirentur. Datum est autem Accenso negotium, ut certo numero patresfamilias ad confessionem ex praescripto indece euocaret; edictumq. eodem auctore Patre, ut omnes matutinis ac vespertinis Catechismi explanationibus interessent: quibus rebus pene ad vitam reuocata gens illa est: quanta omnium cum voluptate, non dixerim. erant ibi sentes & corroborata iam etate viri, qui numquam ad genua Sacerdotis acciderant: erant qui fæda in confessionibus peccatorū monstra suppresserant: & qui per cæcos hæresum saltus misere vagabantur. redditioq. sunt Ecclesiae hæretici duo, schismatici decem, & sua cuique morbo adhibita temperatio, ingenti omnium approbatione, ut plurima in discessu Patris tum gratiarum actio, cum lacrimarum profusio declarauit. Ne rustici quidem prædij nostri in Smodecensibus pagis tulcre

tulere postremas: quo ex numero, confessionis atque Eucharistiae Sacramento se expiaucre quingenti, in ijsq. viri nobiles è vicinitate cōplures. Ruthenii quatuor à schismate, mulieres plures à veneficijs abductae sunt; eaq. ad animorum expiationem, quam nūquam usurpauerant, perductæ. Atque ut intelligatur, quam non inutilis in his colendis rusticis loceatur opera, Paganus quidam ex ijs qui nostris parent, sacrosancto die Paschatis, in Bolniki oppidum, quod regium est, religionis causa contendit. ibi reperito Sacerdote decrepito, qui nec dininam rem facere, nec confitentibus operam dare, aut aliquid pro concione dicere per etatem poterat, vehementer indoluit: ingressusq. templum vir simplex & literarum expers, caput de superiore loco tamquam doctror aliquis verba facere. fit illico silentium, & cursus hominum tantus, ut eos aedes sacra non caperet. ille vero dicere instituens, Placet, inquit, viri fratres, que à meis Dominis ipse sum doctus, ca vos quoque perdiscere nosstros autem suos dominos appellabat. cum populus annuisset, idq. sibi pergratū fore dixisset; orsus ille à signo crucis, totum deinceps Catechismum, quem memoriter hauserat, grauiter distincte q. percurrit. nemo fuit, quamquam exulti humanitate viri non deerant, qui vel obstrepare auderet dicenti, vel non attente, quæ dicerentur, exciperet: cum tamen suspensam concessionem horas aliquot vir rusticus tenuisse: cuius ne perorationis quidem ad animorum motum fax absit, quos tum monendo tum obsecrando conatus est inflammare.

ex eoq. tempore concionatoris nomen vulgo adeptus est, quotidieq. tam à nobilibus, quam à paganis ut ea quæ tum docuerat, doceantur, accitur. Nostri tamen admonendum simplici ingenio hominem existimarunt, ne quid amplius inter tradendum Catechismum de superiore loco differeret; ac ne ex æquo quidē, nisi facta à Parocho potestate. Hos fructus editi Vilnensis ager assidua colonorū excultus industria. Atque ut suam vincā caelstis Agricola nouis operis augeat, propitium se nobis præbet in re augenda domestica. Sunt enim iura omnia fortunæq. Collegij à pientissimo Rege, cui nequaquam satis gratiarum habere possumus, toto Poloniæ regno confirmatae, auctæq. nouis immunitatibus, Ecclesiæq. Iuribus. quod quidem nunc in tanta hæreticorum fæce magni est faciendum, cum id unum præcipui principes, ac fere omnes Lituaniæ Senatorès spectarent, ut antiqua etiam Ecclesiæ iura delerent.

POSNANIENSE, IAROSLA-

viense, & Claudiopolitanum.

POSENIAE cæpta est tradi publice philosophia, institutuq. è nostris auditoribus sodalitiū, ex quibus nonnulli, ut uitam nobiscum perpetuo degant, Societatem iniere. Sed florenti gymnasio obfuit implacabilis pestilētia, quæ pene funditus uerit omnia: Philosophorū tamen Academia in oppidiū propinquum se translulit, ubi dum Posnaniæ salubritas redeat, inchoata studia sine interpellatione perse-

persequitur. Domi relicta sunt necessaria Sacerdotum subsidia, qui & præbendis rite sacramentis, colloquissq. salutaribus, et emendicatis vulgo pecunijs, proximorum necessitati succurrant. Fuit hæc pestilenta, ut plerūque solet, pernicies corporum, salus animorum. nusquam meliores reperti sunt homines: numquam ad tergendos animos promptiores: ut sat sacerdotes nostri hac una fuerint occupatione distenti. Sed quæ in finitimas ciuitates conferuntur officia, ea non minora sunt, quam domestica. multæ ex illis peragratæ sunt perutiliter: & in oppido quodam omnes pene oppidani ad confessionis sacramentum; auliciq. nobiles ad orthodoxam & catholicam fidem sunt adducti: in alio vero germani hæretici fere triginta. In aliud autem ubi religio catholica annum iam sextum & vigesimum exulabat, nobilis cuiusdam rogatu Sacerdos noster profectus, catholicos, quorum plerique in auita etiam tum religione manebant, mirifice recreauit. exceptusq. est audiissimus omnium animis tamquam aliquis de cælo lapsus: eò usque egebant Sacerdotum doctorumq. solatio. nullum eis erat templum, nulla publica cærimonia, ne scholæ quidem ullæ, ubi litteris moribusq. tenera informareturetas. Pater incitatis honorum animis ad defensionem ac patrocinium auite religionis, ita uniuersos incendit, ut & ab hæretico eius oppidi domino templo impetrarint, & suis sumptibus aliquos, qui tempore scholisq. præsint, aduocando alendosq. suscepient. Sexdecim dierum mora fuit, sed utilitas longi

tempo-

temporis. Dum autem Patris comes priuatis vnu-
quemque colloquijs ad obeundam rite confessionem
instituebat, Pater ipse patentibus semper auribus
soluendis à peccatis animis operam dabat. Vix ad
capiendum cibum, recitandasq. solemnes horarum
preces dabatur otium: cumq. plurimum Catholicis
profuit, tum hæreticorum cæcitati permultum:
quatuor & viginti cum Catholicis congregauit.
Quamquam autem Dominus oppidi, vt diximus,
à Catholicorum cætu dissentiat, nostros tamen per-
humaniter & clementer accepit. tantumq. absuit,
vt quæ gererentur à nostris, minus probaret, vt
Lutheri scholam grauiter accusaret, quæ sex to-
tos ac viginti annos suo oppido utilitatis nihil,
incommodi plurimum attulisset. Itaque spes est
iniecta non leuis, fore vt aliquando, si primis ex-
trema respondeant, ex his seminibus mira frugum
existat vbertas. Alia in urbe duo in Ecclesiam
Catholicam recepti sunt, in his senex genere cla-
rus, qui Confessionem Augustanam sextum &
vigesimum profitebatur annum, satis acri iudi-
cio vir, & mediocriter eruditus: Quare si quis
eorum summam, quos hoc anno Deus ex hære-
sum tenebris ad lucem veritatis extraxit, ini-
re velit; centum amplius & viginti reperiatur.
Pergat eius immensa bonitas, quos eadem premit,
cæcitas, illustrare, vt euersa semel hæresi, vera vi-
geat vbiique religio.

IAROSLAVII sex in Societate adolescen-
tes, cum alijs plures id flagitent, lecti sunt. Sane,

O edu-

educantur ad pietatem, tum in ipsa litterarum tractatione, tum in Sodality disciplina permulti. Ex omnibus partibus sodalium sese ardor ostendit, praecipue in domandis coercendisq. corporibus, quæ sic plagis afficiunt, ut aliena. sacris Parasceue tenebris longum foris agmen ad eadem quamdā Beatæ Mariæ semper Virginis instruxerunt, linteis induti tunicis, instructiq. flagellis; tanta Ciuitatis admiratio-ne, ut ad spectaculum uniuersa concurreret. nox crebris facibus collucebat, eratq. prope miraculo infirma puerorum ætas, multorum nobilitas, ornatus pompa, totius denique spectaculi insolentia. quare ne urbs vacua ciuibus in discrimen aliquod uocaretur, regrediendū Proconsuli fuit. valuit ea res ad animorum commutationem plurimum, nec ad Societatis commendationem minus. Obeunt sacramenta celeberrimis præsertim diebus frequentissimi: ut animis cœlesti pane pascendis maxima sape pars diurni temporis absumatur. Expiarunt totius ante actæ uitæ peccata quadringenti amplius & quadraginta, atque huic frequentie sua respondet utilitas. Dederunt in Ecclesiam nomina ex hæreticis duo & viginti. quinque autem & triginta circiter ex schismaticis. par præterea Iudæorum adolescentium, priusquam Christum indueret, Christianis apud nos legibus sese imbuīt. & aliis, quem hæretici baptizarent inuitum, institutus item à nostris est, baptismiq-
ritus, qui desiderabantur, expleti.

C L A V D I O T O L I aucta est & auditoribus, et Magistris Academia. frequentatur à Senato rum

torum procerumq. filijs ac nobilitate præcipua. Doctores adiecti sunt tum ad tradendam philosophiam urgente Rege per litteras, tum ad eas Theologiae quæstiones expediendas, quæ uel de officio incidentur, vel in controuersiam ac disceptationem, hæreticorum peruersitate, vocantur. Non tenet in Gymnasio posteriores pietas: nam cum multi antea uel essent hæretici, vel nondum salutis aqua renati; nunc industria studioq. bonorum, non modo sese omnes ad Christum & Catholicos aggregant, sed ne recentissimi quidem permittuntur in sua diutius hæresi permanere: sic enim eos reliqui auditores aggrediuntur, partim hortando, partim rationibus euincendo; ut de vestigio Christianis sacris catholicæq. religioni se dedant. Et, quod longe admirabilius est, qui paulo ante ne Christum quidem norant, habebantq. pro Deo; nunc complures perfectæ sanctitatis amore, ut Societatem adipisci queant, omni ope studioq. contendunt. sex tantum in Domum probationis abducenti sunt: nam in reliquis qui id flagitant, dies & maturitas expectatur. Pontificium ac regium Seminarium, de quo proximis litteris dictum est, ipsum quoque & numero & adibus dilatatur. ardent misericordia cupiditate propagandæ religionis, suosq. è tot errorum tenebris euocandi. Domos quoque tenuiorum auditorum, quam & contubernium Sanctæ Trinitatis appellant, usque eo creuit, ut contubernales aluerit octoginta. Ex ijs multi in varia loca dimissi, varijs quisque muneribus, Ecclesiæ prosunt. regunt scholas, religionis elementa tradunt, & si

quando incidit eiusmodi tempus, Paræcias ab hæresis contagione defendunt. curant rite funera, cruce luminibusq. prælatis, modulatoq. carmine; ipsis etiam inspectantibus Arrianis, qui quidem fremit, nec manus continent ab iniuria: sed Christi milites non modo æquo, sed libenti animo ferunt omnia. impetuntur non solum conuijjs ac maledictis, sed interdum etiam lapidibus, obsecenjsq. sputis. nec semel accidit, ut qui sacrae crucis præferebat insignia, lapide prostratus & afflictus ad terram sit. Ex quibus rebus facile potest coniisci, quales tandem ex hac officina virtutis, operæ prodeant. Contubernales duo, nec ȳ quidem de doctissimis, adiuncti comites Sacerdoti nostro, cum Turcarum fines obiret, ab eoq. missi ad erudiendos pagos quosdam, in fideq. firmandos; quattuor alios præterea pagos Hæticorum ministris eiektis, vna cum uxoribus ac familijs ad Catholicos adiunxerunt. Ex his alter cum Societatis cupiditate flagraret, voti compos est factus: alter quo maiores sibi animos faciat ad res pro Christo gerendas, ornatus est Sacerdotio. Pater autem ille cum hoc anno multa eximia cum laude fecit, tum proximo, sexaginta pagos ad Ecclesiam dicitur adiunxisse.

IN SICULIA M profectus est laico cum comite Pater quidam. ea autem ferme regio uitam religionem etiamnum retinet, in eaq. Sacerdos ille Inbilaum Summi Pontificis promulgauit, plurimisq. confitentibus aures dedit. multos etiam reddidit in tuenda veritate constantes, Christianæ disciplinæ

disciplinae præcepta passim docuit; & in ciuitate, quam fæx omnis hæreticorum inuasit, Catholico-
rum, quæ supersunt, reliquias, Caluinista fremente; & sacramentorum administratione solatus est, &
Liturgiæ sacrosancto mysterio. Pagi quoque nostræ,
quos passim Arriana labes infecerat, obeuntur, esse
etiq. sunt iam ferme Catholici vniuersi. eademq.
utilitate finitimi nobilium pagi lustrantur. atque
vtinam messis vbertati, operarum copia par esset:
sed penuria cogit multos non sine dolore deserere.
Frater quidam è nostris medice peritus artis, dum
graui vrgente necessitate suam quoque operam ex-
ternis præbet, ex ijs centum & sexaginta, non mi-
nus animi, quam corporis salutem attulit. ad Ca-
tholicos quadraginta conuertit, alios autem ad ba-
ptismum: & ab alijs, ne Catholica veritati se oppo-
uerent, impetravit.

POLOCENSE AC LVBLINENSE Collegia.

POLOCII exstrui cæpta sunt scholæ, in eisq.
imbui primis litteris pueritia, quam frequen-
tissimâ speramus fore, ubi, quæ ad Gymnasium per-
tinent, constituta sint omnia. Nobilitas pluris iam
nos facit, libentiusq. suos mittit liberos informan-
dos. quamquam auditorum non magna copia est:
quiduis enim aliud parentum plerique curant,
cum Schismatici Hæreticiue sint, quam vt doctri-

narum ornamentis, quibus ipsi carent proles abundet. Auxit Societatis existimationem dialogorum ac supplicationum celebritas, studiumq. publica cærimonie in solemni tum Liturgiæ, tum sacrorum cinerum cultus ita ut illi ipsi nostrarum derisores contemptoresq. religionum, ad earum nonnumquam aspectum permoueantur. Celebratur quotidie magis non à Catholicis modo, sed etiam à Schismaticis aedes nostra, quam Rex cum hominibus omnibus ac fortunis Ruthenis ademptam ad nos translulit. qui quidem ipsi nunc demum sentiunt, quanto è re diuina sit magis, eam à Societate, quā à Poporum superstitione curari: cum & à ruinis instaurari videant, & quotidiana rituum sanctitate fieri augustiorem. Passim inter se & coram nostris fatentur, è nostrorum cōcio-nibus uberrimum se fructum capere, lucem se aspi-cere clariorem, inflammari animum ad paenitentiā, à vitijs auocari, & ad recte facta traduci: cum apud suos Popos nihil experiantur eiusmodi. triginta amplius ad Catholicos accesserunt, atque in his viduæ nobilis, quæ non paucos ad eandem religionem suo exemplo moribusq. pertraxit. ea ne humanaru-rum procuratio à diuinis animum auocet, traditis suis genero bonis; quantum ad usus vite sit satis, tantum sibi ipsa reseruauit: domumq. sibi propter eadem nostram, unde numquam abesse possit, exstruxit, precationi & ieiunijsq. continenter intenta. Populi pietas nihilo frequentia minor. tractat sa-cramenta solito crebrius: & quod mirum in ciuitate recens instaurata, & ubi schisma late vagatur, vir-deri

deri debet; vnis Paschatis ferijs, sumpserunt Eucha
ristiae mysteria hominum fere duo millia. multiq;
item sunt, qui peccatorum se vinculis eximant, ex
quo plurima quotidie salus animis.

L V B L I N I quoque in reparando Christi grege
Societatis curæ desudant. duos amplius & viginti,
qui in heresi contriverunt ætates, sacramento con-
fessionis absoluit, aliosq. complures ab Ecclesiæ com-
munione sciuentes, ad eius imperium nutumq. con-
uertit. multi eius opera, studio cœlestium rerum in-
censi, Cœnobiorum se legibus atque institutis astrin-
gunt. nam qui se à vitiorum turpitudine ad frugem,
ab ira ad lenitatem reuocent, plures sunt, quam vt
eorum duci ratio curiose possit. Quamquam autem
per pauci in Collegio Lublinensi versantur, non ta-
men pagos finitos negligunt. modo huc, modo il-
lud excurrunt, quò vel charitas impulit, vel necessi-
tas. expiati sunt ab heresi peccatisq. nonnulli: &
in eis alta similia eorum, quæ gesta sunt domi. Con-
seruatur ciuium in nos amor; & nouis semper offi-
cij, quo nos numero locoq. ducant, ostendunt. præ-
ter amplissimos hortos, & quas incolimus ædes, &
alia quadam huic tributa Collegio, viginti am-
plius florenorum millia triennij spatio d. varijs sunt
accepta beneficis. multa Senatus, multa priuati de-
derūt. ipsa quoque Poloniæ Reginæ, vt pbique apud
nos suam benevolentiam testatam relinquat, cum ex-
fororis suæ legato (ea est Sueciæ Regina) non exigua
pecuniarum subsidia diuideret, suam quoq; Brans-
bergæ partem, suam Cracoviæ in Nonitorum com-

modum reservauit. Gratia nimirum Deo, qui spes solidiores affert, fore, ut qui hæc exordiorum fundamenta iecit, largiatur etiam exitus quam similimos.

RIGENSE, ET NIESVISENSE Collegia.

RI GÆ assidua diuini verbi prædicatione non solum apud Polonos & ciues, sed etiam apud Germanos & Lotauos valde proficitur. Rutheni amplius decem, heretici duodeviginti dedere manus. Fuit in his publicus settæ minister, qui & publice heresim eiurauit, & parentem suum, quem ministri quoque munus obibat, induxit, ut à sacra Eucharistia & administratione se contineret, eamq. ministrari pateretur a nostris. De Lotauorum & Paganorum in prædijs nostris concursu nihil attinet dicere, in quibus quidem sacramentorum & concionum pabulo sustentandis, ad morbum usque sape nostri desudant. Nihil de Pontificij Iubilæi fructu commemorabimus: quæ res ut plerisque visa est insolens, ita fuit omnibus salutaris. Ne omnia quidem pro animis suscepta itinera numerabimus, non minus frugifera quam laboriosa. Volumaria, quæ futuri Episcopi sedes est (nondum enim Episcopum suum Liuonia viderat) ea cernitur in incolis pietas, ea fiducia, ut si quid non modo hominibus obesse senserint, sed suis etiam iumentis; continuo ad Sacerdotes nostros medicina causâ confit-

confugiant. Nonnulli cum infici contagione pe-
cus animaduerterent, cadasera & exuicias ex-
tincti pecoris afferebant, ut misericordiam captan-
tes, pro viuo pecore preces elicerent: commeruitq;
eorum in Deum fiducia, ut aqua rite benedicta per-
niciem potata depelleret, & cadenti pecori subueni-
ret. Quin ipsi quoque haeretici, quamquam palam
ritus catholicos in honore non habet, clam tamen,
ut multorum ægrotationibus medeantur, eiusdem
aquaæ cauſſa ad nos mittunt. Itaque hoc quotidia-
num & ſolemne noſtris eſt, ut aqua, ſali, ac frugi-
gibus benedicant: & quod admirabilius eſt, dedu-
cuntur interdum ad mare Balticum, ut obnoxia
veneficis retia ſacris carminibus expient: inter-
dumq; fit, ut cum diu fruſtra in capiendis pifcibus
laborarint, ſubito ad Patris aduentum magnam
uim pifciū capiant. Ad retinendam autem homi-
num pietatem nulla à noſtris prætermittitur ceri-
monia. decernuntur domi forisq; supplicationes,
in quibus ad uaria templo frequens populus coit.
cumq; huiuscmodi supplicationem in prædio no-
ſtro ſacerdos noſter instituſſet, & per ſata ſuppli-
cantium agmen ac pompa procederet, ſi omachari
nobilis matrona cœpit, ſeu propter agri ſuī vicini-
tatem, ſeu propter religionis diſſimilitudinem; gra-
uiterq; ſuos ruſlicos accusauit, quod ad eam mul-
titudinem ſeſe aggregaſſent. ſed mox ſenſit ira-
cunda femina, quanti Catholicorum faciendi
ſint ritus: nam cum eius ſata continentia ſint
noſtris, de cœlo talta penitusq; abraſa ſunt illa-

cum

cum hæc intacta atque illæsa permanerint. Tam
lætos rei Catholicæ cursus non ferunt æquis oculis.
aduersarij. perstrepunt in suggestiss. debacechantur in
circulis, nihilq. non moliuntur, vt apud populum no-
bis conflent inuidiam. multi hæreticorum ministri
inuehi pro concionibus in nos cœperunt, & sedicio-
num ac cædium nos auctores dicere; vt necesse fue-
rit propositis de religione questionibus, eorum au-
daciæ reddere segniorem. at præclari doctores mi-
nis hisce perterriti, abnuere sine pudore certamen,
negare sibi licere sua per decreta nobiscum congre-
di, omni disputationis genere prohiberi, siue id stylo
fiat, siue contentione verborum. Vbi hæc non pro-
cedunt, dantur ad Senatum litteræ, vt i sibi curæ esse
rellet non tam nostram contra petulantissimos ho-
mines causam, quam publicæ communisq. rei. Obsti-
tit aliquantulum eorum audaciæ Senatus, & ijs in-
uitissimis, Gregorianum etiam Calendarium admi-
sit. quæ res mirum in modum hostiles iras acuit. illi
scholarum indicem pro Gymnasii foribus affixum
contumeliose renellunt ac lacerant, in eiusq. locum
alia schedarum probra præfigunt. sed, quod grauiſ-
simum est, cum Minister quidam à Senatu seuerè mo-
nitus esset, vt se à turbulentis concionibus contine-
ret, is tantum abest, vt dicto audiens fuerit, vt pro-
suggestu maiores turbas fecerit, exacuit in maledi-
cia & contumelias nostri nominis intemperantem
linguam, vt rabie accensus populus in ædem no-
stram, nocte illa, quā natalitia Saluatoris excipiunt,
tum cum diuinis operabamur, irruerit, inconditisq.
vocibus

vocibus ac clamoribus diuina cantica perturbarit,
manus etiam in nos tristis iniecerit, lapidibus, pugnis,
alapisq. multarit, omnia denique per summam relict
gionis contumeliam polluerit ac violarit. cumq. re
cipiendi anhelitus causa, improbi sese e templo in co
meterium proximum contulissent, ostiorum exclusi clau
stris, ex ipso cōmectario, Chori fenestras lapidum im
bre concutiunt: ut de nostris sint vulnerati nonnulli.
Diebus interpositis non ita multis, cu p:imū impe
tū vidissent irritū, alijs alijs in locis mille amplius de
nocte vt nostras aedes euerterent, conspirarunt, cu
interim nostri ad placandum Deum sese toti conuerte
rent. Sed placuit Deo per honestos viros incitatae
plebis impetum continere, tum cum machinas ad
cuertendas iam diffingendasq. Collegij fores admo
uerat. eodemq. tutore atque adiutore Deo, crescen
te postea in vrbe tumultu, grauia sunt euitata peric
ula: ut crebris iam documentis appareat, quantæ
sit ipsi Deo curæ nostrorum salus, quos toties ab im
proborum conatibus consilijsq. defendit. Tamen in
tanta facinorosoru vberitate non desunt, qui sua nos
pietate solentur. et, quod in miraculis est habendum,
superant etiamnum virgines sacrae duas e Cistercien
si familia, quæ sexaginta ipsis annis, quibus I.uthen
rus hic viget, numquam à religione Catholica desci
uerunt. earum altera centesimum, altera octogesimum
excedit annum: ea vita sanctimonia ac pietate ambæ,
vt de statis sua familiæ ieunijs in summa senectute
nihil remittant; sacrificijs omnibus, quæ in ipsarum
ade tria & quatuor interdum peraguntur, nixæ ger
nibus

nibus semper adsint . cumq. proxime in grauissimo ciuum tumultu , rogarentur à nostris , vellent ne ratiſper, dum pacatæ res eſſent; in prædium quoddā, ne quid incommodi paterentur , abſcedere ; præcise negarunt, certæ potius de vita, quam de cœnobij disciplina discedere. grauissimum testimonium veritatis, viuum & spirans adhuc in aduersarios, sed eſfranata peccatorum licentia , & insane libertatis amor in tanto splendore lucis non ſinit dispicere veritatem.

C A L I S I E N S E Collegium ab Archiepiscopo Gnesnensi Regni Primate proximo anno iſtitutum publicas ſcholas ap̄eruit, ad easq. ex hæreticorum disciplina multi conuolant. viget pietas, dum coluntur ingenia; & ad noſtrarum meditationū exercitationes viri nobiles admittuntur : quorum unus vbi ſenſit, nihil in humanis firmum ac ſolidum eſſe, ſocietate nobifcum inita , curas ſuas ad vera bona & aeterna conuertit . Hic quoque ſacramento-rum creber eſt uſus : ſenſimq. frequentandæ Eu-chariftie, ſalutandæq. ter quotidie Dei Parentis conſuetudo longo interuallo reuocatur . Agitur & cū hæreticis plurimo ipſorum bono; abductiq. ſunt à perſifera ſecta duodecim tredecimue: ad eos ſanandos præbentur nobis aditus non diſſiciles . ipſi ſe dant. & quid de familia noſtrasentiant, declarant etiā hu- manitate nonnulla. Quo in genere Præfetti in arce Vicarius , quaniuis numeretur hæreticus , cum diu- rior eſſet annona, mutuo nobis frumento ſubuenit: nec paſſus eſt, quod mutuum dederat, ſibi reddi. qua

ex re coniisci licet, quemadmodum in nos animati Catholicis sint, quando aduersarij ipsi se tales præbent. Atque ut ceteros beneficos sileamus, sacrorum Antistes, is qui Collegium nobis condidit opibusq. firmauit; ut suam consuetudinem tueretur, cum Bibliothecam nostram multis libris locupletauit, tum multo nos ære donauit.

N I E S V I S I E N S E Collegium, ut proximo anno demonstratum est, est illud quidem adhuc in initij, sed tamen non sine suis frugibus ac prouentu. Nuper apertus est ludus, & auditores ventitant quadraginta. Confitentium autem domi forisq. celebritas satis magna. quo fit, ut cum à reliquis sceleribus multi desistant, tum ab heresi schismateq. non pauci. Ex his resipuere septemdecim. cogitur. & multitudo puerilis ad Catechismum: in eoq. ut strenua, ita fructuosa collocatur opera. Nouogrodecum Comitys provincialibus Sacerdos est missus, qui non modo conciones apud hæreticos et schismaticos habuit, sed cum ijs etiā præsens disputationis certamen. Varijs in aulis plurimas confessiones accepit, & ad Ecclesiam obedientiam familias interdum integras nec obscuras è schismaticis Ruthenisq. conuertit. Senex claro loco natus, cum aqua intercute laboraret, post multos nostrorum labores ac contentiones, hæresim tandem abiecit. is postea cum à peccatis animum confessione soluisset, corpus etiam tumoribus liberavit. Concessus est auctori ac fundatori Collegij, cum ad Regni Comitia iter haberet, Sacerdos è nostris. cuius proficatione singula-

singularis utilitas, salus coniugifuit, quæ à Catholicis ante seiuulitatem suum postea imitata virum, ad Ecclesiæ nutum potestatemq. se contulit.

DERPATENSE.

DERPATI varijs scholarū ordinibus Academia distincta, auditorum quoque varietate et multitudine floret. celebratur à Polonis, Moschis, Estonibus, atque Germanis, & in Germanis à Lutheranorum ciuum, & senatorum Derpatensit filijs, quos vniuersa Societas non tam litteris atque doctrinis, quam Catholicis moribus ac uirtutibus expoliendos censet. adhibet ad id sodalitiorum, ut consuevit, præsidia: in quibus quotidie sentit, quantū ad optimam iuuentutis educationem insit ponderis ac momenti. ubi autem ab erudiēda iuuentute discessimus, primæ curæ ad reliquum genus hominum referuntur. curatur à nobis, ut proxime demonstratiæ est, non vnum tantum hominum genus: nam cum hic ea nationum, quam significavi, varietas sedem habeat, nulla Deo iuuante gens est, quæ nostrorum operā officiumq. desideret. Estoniae, qui ferme agricultores sunt, & propria ac dissimili ceterarum lingua loquuntur, licet varijs subiecti sint dominis, nec ijs semper Catholicis; tamen eo usque in Catholica religione persistunt, ut catholicos Sacerdotes admirabilis benevolentia ac ueneratione prosequantur hanc nimirum antiquam fidem asserunt, et præter ceteras adamandam. bi de longinquis sepe locis in equis qua-

quadrigisq. veniunt, ut secum aliquem de nostris
anehant, qui vel missæ sacrificium apud se peragat,
vel spectris obnoxias ædes sacris ritibus expiet; uel
denique quidquid ad victimum adhibet, benedicat. Sed
cum in omni loco promptam Societatis experiu-
tur operam, tum in excipiendis sacro fonte pueru-
lis: è quibus excepti sunt hoc anno mille circiter &
ducenti, plurimisq. adhibitæ ceremoniæ, quas in eo-
rum ante baptismis Sacerdotū incuria præterierat.
Habent Estoniae in agris suis templa complura, loco-
rum interuallis ualde disiuncta, quæ cælestibus dita-
ta muneribus, & summorum Pontificum indulgen-
tij, statis anni diebus maxima frequentia cælebran-
tur. huc illi nostros euocant, ut ad paratam iam mes-
sem aduolent, & Christi condant in horreum. ita fit,
ut Estoniae tantum causa in uaria loca sepe sit ex-
currendum. septuaginta hoc anno institutæ sunt pro-
fectiones, non nostrorum minore, quam ipsorum Esto-
num uoluptate. Affert peregrinandi cupiditatem
cum minime dubia animorum utilitas, tum sincera
hominum beneuolentia, quam in excipiendis maxi-
me nostris, muniendisq. liberali uiatico preseferunt:
ut iam nostri quo cumque ad Estoniae se conuertant,
itineris subsidia non requirant. simul ac cognitū est
ad ipsos Patrem aliquem accessisse, cœpisseq. Chri-
stianæ legis explanare principia; confessim per inter-
nuncium Pagorum uicinitas admonetur: ex ijsq.
complures ad accipiendo salutarem doctrinam
momento conuolant: & sic ubi nocte noster ille con-
sedit, prima ad eum luce conueniunt, ut uel sacrifi-
cantem

cantem videat, vel aliquid de catechismo perdiscat.
Atque hic Estonum ad nos corcursus non minor
est domi, quam foris. adeptus est concionator nosfer
Estonicæ linguae usum, barbaræ illius quidem & pe
regrinæ, sed tamen ludibundus; & tam nullo tempo
re vel negotio, ut eam Lutherani negent sine magi
cis ab eo artibus potuisse perdisci: infestis quippe
oculis tantam auditorum in æde nostra frequentiam
Lutherani ciues aspiciunt, præsertim quod eadem
concionis hora, suas alia in æde Minister conciones
pestilentes habet. tribuunt & prestigijs dæmonum
pulsos è corporibus morbos, ut aquæ rite benedictæ
vires, cærciq. agni, quibus illi pelluntur, infirment.
Sed fecit Cardinalis Radziwilus, ut deieeto de con
cionandi munere Lutherano ministro, qui hac in au
res multitudinis infundebat, hereticorum ora com
pesceret. Sequuntur Poloni, qui huc post recuperatæ
Liuoniam ab eorum Rege Stephano commigrarunt.
helicet omnes Catholicæ pene sint, habeantq. Polonii
Parochum; quotidie tamen turmatim ad nos con
fluunt, vel sacramentorum causa, vel sacrificij. Sunt
& Poloni milites, qui in finitimiis resident arcibus,
quorum animis easdem curationes Societas admo
uet. amant illi nostros & complectuntur officijs, fa
cileq. se patiuntur, si quando de salutis cursu desle
xerint, in viam reduci. itaque mira in multis extitit
commutatio. Sed ne Moschi quidem negliguntur à
nostris. Hi Græcum sequuntur schisma in religionis
ratione: & ex his ad Latinorum communionem tra
ducti sunt octo, habitæq. in eorum suburbio non in
utiles

utiles conciones. Restat postremum genus hominū, Germanorum, ex quibus sanam atque integrā reli- gionē qui colant, per pauci sunt. sunt enim à Luthero plerique, et mutuo quodā impediti metu, à nostrorū consuetudine usq. refugiunt. itaque vix unus & alter à magistro discessit. sunt tamen qui conciona- tori nostro dent operam, interdumq. genibus nitan- tur in sacris. leniuntur Catholicorum rituum ob- servatione non pauci, partim supplicationū pompa, partim pijs spectaculis delectati. Nec desunt hære- tici, qui nostros euocent, ut vel parturientium peri- culis, cereis opitulentur agnis; vel domicilia venefi- cijs infesta perpurgent. Quin Lutheranus quidam Consul patrem adduxit in predium, ut & suis in adibus recens exstructis sacrificaret, & baptismō lustraret infantes, diuinæq. legis summam subiectis sibi populis explicaret. quod ipsum ab alijs nobili- bus Lutheranis est factum. Regius quoque Derpa- tensis Oeconomus, quamvis Catholicæ non assen- tiatur Ecclesiæ, mandat tamen ubique suis, omni ut humanitate nostros excipient. ipse vero ad cultum domesticum ac sacrum non pauca contulit, & pro viribus, ne quid de libertate nostra minueretur, pu- gnauit. Extremo fere anno non pauca ad diuini cub- tus propagationem sparsa sunt semina. constitutum est ex interpretibus Seminarium, quorum nostri vtantur opera ad explicationem doctrinæ christia- næ: iamq. in eo sunt, qui Lotaue, Estonice, Ruthen- ce, Latine, Germane, Lituanice, Suetice, ac Polonice norint: que linguarum tanta varietas ē varijs fini-

P timisq.

timisq. nationibus, quæ hoc confluunt, efficitur. Sunē
et huius Collegij fundamenta iam iacta: acceptiq.
ex ea, quæ quondam fuerat, arce, alijsq. bonis an-
nui reditus florenorum fere bis mille. addita etiam
sylua cædua, multis passuum millibus longe lateq.
vasta: et attributæ rusticorum familiæ centum cir-
citer ac sexaginta, quod quidem in edificium no-
ui Collegij commodissime cedet. adiunctæ insuper
edes quædam, Cœnobio, quod iam nostrum est, con-
tinentes. traditumq. cum area ambituq. domorum
ingens et augustum Dei Matris templum. quod à
magno Mosconia duce, qui decepsit, fratri regis Da-
niæ, qui eius nepti nupserat, ad Lutheranam labem
relictum, Deus nobis videlicet reseruauit. Sed Po-
lonia regis liberalitas de familia nostra tam meriti,
nequaquam satis ornari verbis et prædicari potest.
is etiam ut quamprimum Societatis operas aduo-
caret, vestigialis nomine elapsi iam anni, florenos
mille quingentos, partim numerandos curauit, par-
tim frugibus persoluendos. Itaque in ipso B. Ma-
ria templo, eiusdemq. conceptæ Virginis ferijs, quo
die in possessionem templi venimus, à votorum in-
stauratione Collegij sunt ducta primordia. Vix di-
ei potest, quam hac rerum conuersio eos, qui præ-
fectis arcis subiiciebantur, delectauerit, malentes
multis partibus Societati nostræ, quam regijs pa-
reré præfectis. Itaque campanam, quam annis an-
te triginta, hereticorum Moscorumq. causa in ter-
ram alte defoderant, effoderunt; ut alteri tem-
plo, quod prædio nostro adiunctum est, usui es-
set.

set. alteram item aliij annos etiam ante triginta sublatam è templo, demersam occultauerunt in fluvio, certa spe nixi, aliquando fore, ut sedatis diuturni belli tumultibus, religioni Catholicæ deseruiret. Atque hæc sunt Collegij Derpatensis initia, postremi in Europa præsidij ad orthodoxam fidem vel retinendam vel propagandam. Nam præter vicinum Suetiæ regnum, per amplæ nos attingunt Moscorum prouinciae. quæ commode ad ipsam Moscam eius imperij Metropolim non longis itineribus adiri potest. ea autem cum inter Europa & Asiaq. fines sit interiecta, iter aperit nostris ad reliquos in Indiā fratres. Nec vero Moschi, qui extra Derpatum in suburbio mercaturam exercent, à nostris abhorrent: quin ea est de Societate apud illos opinio, ut Germanos, qui hic versantur, hæreticos; nos antiquæ fidei homines & religionis appellant. Id igitur restat vnum, ut complures fratres in partem laboris veniant, & quæ tam pulchre per reliquos huic vincæ cultores orsus est Deus, sua augeant & propagant industria.

RESIDENTIA ALBAE IULIAE. & Leopolidentis Missio.

IN Albæ Iuliæ sede, si eos quoque, qui apud Principem morantur, enumeres, vndeclim omnino repetias. Hic autem primæ curæ sunt, ut is quem dixi Princeps sic educetur, ut & Regis Polonici expec-

Etationi respondeat, & inter tot hæresum monstrâ, insignis Catholicæ religionis defensor & propugnator euadat. in quo uno tantum putatur esse momenti, ut in ea viri boni sint spe, fore, ut quemadmodum ab uno iuuene Principe Catholica in ijs partibus est euersa religio, ita ab hoc quamprimum Deo adiuuante recuocetur. Gymnasii melior hoc anno iam forma est: classe quadripartita distinguitur: duæ habentur in aula, reliquæ in Ciuitate. Instituuntur una cum Principe, procerum liberi ac Senatorum: cumq. Catholici iam sint omnes, nec parentum minas magnopere reformident; magnus ad res gerendas campus sese nostris aperit. ratam hanic spem faciat optatis euentis diuina benignitas, & instituta pertexat. certe ex ipsis concionibus, catholicorū paulatim numerus increbrescit, hæreticiq. proceres mitigantur: ut de multis hoc confirmari iam possit, eos à nobis esse, quamvis humano forsitan metu occultet fronte sententiam. cumq. in comitijs de exigendis pellen- disq. nostris, aduersarij nonnullis urgentibus, agerentur, non defuerunt vel ipsos inter hæreticos, qui causam nostram publice susciperent agerentq. Cæptæ sunt etiam res futuri Collegij regia liberalitate constitui: dataq. iam in id villula, sylu. eq. cum Cœnobio, sacraq. æde: & in scholarum fabricam certa quotannis pecunia.

LEOPOLIS, Russia Metropolis præter Catholicum Archiepiscopum habet Episcopos duos, Armenorum unum, Ruthenorum alterum. sunt enim & ex incolis Armeni complures, sed à Catholica.

lica religione auersi. Hic igitur Archiepiscopus à P.N. Generali de collocando stabili aliquo Societatis domicilio cum contendisset, nec id in tanta nostrorum paucitate impetrare potuisset; duos tantum à nostris accepit: quorum tam strenua opera fuit, ut ad maiorem melioremq. pietatis cultum vniuersam permouerint ciuitatem. Exercitijs potissimum spī ritualibus, et sacramentorum concionumq. frequetia, collaboratum pro animis est. Catechesis etiam inducta, doctiq. publice Sacerdotes & Clerus expediendi rationem, quæ ad conscientias & officium hominum pertinent. sed tanta vinea, si verum quærimus, plus desiderat operarum. Quod si in hoc celeberrimo regni totius emporio, quo ex Armenia, Scithia, Valachia, Moldavia, alijsq. disiunctissimis regionibus multitudo concurrit, aliquas aliquando sedes Societas locet; videre iam videmur, quanta animarum futura sit seges: cuius iam rei non leuia cernuntur initia. Excitauit Deus matronam viduā, pietate atque opibus æque diuitem, quæ commode vrbis loco ad ædificium area coempta, domicilium suis nobis sumptibus exstruit. cui si aliorum quoque accedat benignitas diuinitus excitata, confecta Deo duce res erit.

RESIDENTIA VARADINENSIS in Pannonia, & Zeplacensis Missio.

VARADINVM missi sunt duo. est autem hæc Pannoniae ciuitas satis frequens, sc̄
P 3 etarum

Etarum varietate referta : abundat enim hæreti-
cis Turcisq. compluribus, ex quibus utrisque non
contemnenda facta sunt lucra. Catholicis autem
qui vix duo millia censentur, consimilis utilitas
est allata, præsertim pestilentia sameq. premen-
te. Sed rem suam Deus, prodigiorum quoque pro-
mouet insolentia. curantur ægrorum corpora Sa-
cramentis & curationibus animorum, cereisq.
agnis terrores dæmonum & spectra fugantur.
Verum qui Catholicorum numerum auget, is quo-
que hæreticæ nequitie ministros, ne suis zizanijs
spem sementis extinguant, de medio tollit. obiit
enim impius ille minister, qui in hanc ciuitatem
Caluini pestem primus inuexit. Hunc dicitur ali-
quando vir consuluisse Catholicus, anceps & nuta-
bundus in fide; exactoq. iur. iurando, multis pre-
cibus obsecrassæ, sibi ut aperte diceret, in tanta
septerum ac religionum varietate, quam tandem
optimam ac verissimam existimaret: coactusq. iu-
rejurando minister, ita dixisse, Ad æternam salu-
tem consequendam tua fides est melior, ad car-
nem fouendam, mea. indicauit vellet nolle de-
notum illud æternis ignibus caput, ex quo tandem
fonte hæresis fluat; nec quemquam à Catholica re-
ligione desciscere, nisi qui Christi crucem oderit, car-
nem adamet.

ZEPPLACVM vrbs est finitima Turcis,
& ut aliae multæ, hæreticis Catholicisq. permixta.
huc etiam nostri venere subsidio. nam cum pesti-
lentia ciuitas laboraret, à qua mortales omnes ab-
horrent

borrent, sacerdos è nostris studio alienæ salutis incensus, ex ijs ipsis, quos pestilens morbus inuaserat, centum ac triginta expiauit. Iustrauit etiam baptismate quatuordecim, & pagos vicinos oberrans, nihil quod è re diuina videretur, omisit. Sed quoniam hic de nostris, regionis sermonem natus est nemo, ex alumnis disciplinæ nostræ præsidia linguae petuntur. Ex ijs quidam catechismi beneficio pagos quinque & viginti; aliis quindecim in religione catholica sustentauit. Duo alijs à P. Prouinciali è pontificio regioq. seminario missi, pagos item octo tanta cum laude atque utilitate lustrarunt, vt non modo laborantes in fide firmarint, sed etiam non paucos ab ipsa hæresum contagione retraxerint. Pater concionum fructus excipiendis confessionibus colligebat; scilicet non exiguo, præsertim metu mortis inieccio à pestilentia peracerba atque inusitata: cuius ritanda causa reperti sunt, qui summis in arboribus nidos sibi auium more construerent: quorum tamen plerosque vel atra lucis, vel inedia ipsa consumpsit. itaque qui salutem animi diligebant, certatim concurrebant ad nos, vt catholica in Ecclesia extremum vel spiritum sibi licceret effundere.

CRACOVIENSIS PROFESSO-
rum, & Probationis Domus.

CRACOVIAE Societati duæ sunt sedes, quarum altera Nouitiorum est, nuper instituta: cuius rei causa proximi, huius anni comitijs delatae sunt ædes Parochi, templumq. sancti Matthei, opera auctoritateq. Thomae Plazae, qui non modo, ut Cracoviæ Societas acciretur, auctor magnopere fuit, sed etiam suas ædes nostris, cum egerent hospitio, patere semper voluit ad alendos vero Nouitios plenissima Castellana Cechouensis, quæ huius fortunas domus stabiliendas fundandasq. suscepit, duo contulit prædia. hæc aliquot annis ante perpetuos redditus Cracoviensi Societati decreuerat: sed cum maleuolorum sermonibus rem differret, nuper nostrum ingressa templum, & sacrorum cultum admirata, celebritatemq. religiosi conuentus, ad id quod iampridem cogitauerat, animum retulit. Euocato igitur moderatore domus, statim testamenti tabulas conficit, & bona quædam, nullis adiectis conditionibus vel oneribus, Societati legat: ex quibus annui floreni (is est nūmus denariorum fere nouē) capiuntur circiter octingenti, ita breui hoc Nouitiorum migratio fiet. Multum autem nobis profuit ad colligendam hominum gratiam sacrorum diligens procuratio: nec minus ad excitandum ad similem imitationem reliquum clerum. Nam & ædes maxima cernitur iam splendidior, & una omnium vox est,

Iesuita-

Iesuitarum aduentu diuinum cultum quodammodo restitutum. ceteri quoque ordines studio æmulacionis incensi se reuocant ad industriam, nec patiuntur sua squallere templa, cum nostra niteant.

Altera, quæ ad S. Barbaræ sedes est, aliena se misericordia opibusq. sustentat, nullo suo reditu ac prouentu. sex sacerdotes alit, qui animorum commodis salutiq. prospiciant. Habentur Dominicis diebus quaternæ singulis conciones plurimo conuentu: pariq. studio ad sacramenta concurritur. Reconciliati sunt Ecclesiæ Catholicæ unus & septuaginta, quamquam haberis singulorum non potuit ratio: constat enim ab alijs alios, qui subsidio nobis venerunt, ad sanitatem esse traductos. dederunt sè nobis principes viri duo, quorum cum ætate consenserat hæresis: ut miraculo prope fuerit eorum in gratiam reditus cum Ecclesia. Erat quidam Calvinistarum signifer & minister, quocum Sacerdos noster quam occultissime, ne quid emanaret, agebat; flexitq. pertinaciam hominis constans pater, & qui fuerat magister erroris, factus est repente discipulus veritatis. hæresi remisso nuncio, eam ipsam publice in æde maxima, totiusq. ciuitatis oculis reuocauit. quæ res non sine solemni cærimonia apparatuq. transacta est. habuit Sacerdos noster de hæresum fonte sermonem, ut opportunas huic morbo medicinas afferret: cuius ita probata concio est, ut vel ipsis aduersarijs, quibus hic abundamus, admirationi fuerit. Huius palinodia ut religionis hostes perterriti, ita Catholicos subleuauit. erat enim vir grauis non
ætate

estate modo, quippe sexagenarius, sed etiam litteris
& doctrina. annos triginta publicum ministru ege-
rat, veneratq. paulo ante Cracoviā, euocatus à suis,
ut in ægri ministri locū munusq. succederet. nec mul-
tis ante diebus concessionē habuerat apud suos, qua fe-
rē tota in eorū fictos et simulatos mores grauiter est
inuenitus. quare cū mox in hæreticoru oculis, & in
clarissima ciuitatis luce eā ipsam, quā docebat, hære-
sim ciurauit; vix dici potest, quā hoc uno factō im-
proborum synagoga cōciderit. Nō minus illustris fuit
alterius reditus ad Ecclesiā, qui ipse inter hæreticos
familia ducebat, & nouū dogma cudebat. spargebat
hic longe lateq. virus pestilentis doctrinæ, et quid ue-
nenata lingua non poterat, perniciosis calamis aspira-
bat. disseminabat per Transyluania Arriū, & Dia-
goram, ut iam ante fecerat in Polonia, & suo aduen-
tu contaminabat omnia. sed ne latius pestis illa ma-
naret, rex de religionis incolumente solicitus, con-
quiri iussit hominem, & in custodiam tradi. quod ille
cum præsensisset, sine cunctatione profugit. postea
diuina obortaluce se ipse collegit, litterasq. ad Re-
ctorem Claudiopolitanum & Viennensem dedit, in
quibus erat, certum sibi esse, ad Ecclesiam redire:
comperisse se denique in tot sectarum varietate ac
multitudine, aut religionem esse nullam, aut unam
veram esse Romanam. Cum igitur Cracoviā ad nos
venisset, & suum nobis consilium ac voluntatem
exposuisset; quamquam nostri eius constatia nequa-
quam satis fidebant, ueriti ne metu potius aliquo re-
sipsiceret, quam veritatis amore; tamen non com-
mittendum putarunt, ut qui sanitatis significationē
daret,

daret, ei pænitentiæ locus ac medicinæ deesset. itaque domi nostræ receptus, sensim eò deductus est, vt, quod uix fieri posse videbatur, in omnium Academicorum corona, & in maxima uulgi frequëtia, omnes hæreses eiuararit; editaq. ex instituta formula religionis catholicæ professione, reuocationem illam suo chirographo consignatam testatamq. uoluerit. subsecuta de inanissimo hæresum cultu seclarūq. deli ramentis est concio, in qua de Caluini schola uir nobilis cū ad se redire cœpisset, & in dubiū egregij magistri dogmata reuocare, dubitationes suas cū concessionatore nostro cōmunicauit. quæ quoniā facile eximi potuerunt (nihil enim contra uitæ ueritatis ualeat) spes est, ad eamde breui religionē eū quoq. uenturū. Institutū porrò Cracouæ est Misericordia nomine sodalitiū, cui et ex clero & ex ciuitate uiri graues derenomē. hi crebro tractat diuina mysteria, stipem in cōmune cōferūt ad eos potissimū subleuādos, quos à querēdo uictu uel morbus retrahit, uel uerecundia. nec tamen ceterorū solitudo deseritnr. multos, quos alienū as in tenebras abdidit, dato pretio solue dos curāt. familias etiā quasdā ad summā redactas in opia statis eleemosynis alūt: et ut charitatem cum christiana humilitate cōiungāt, ad templorū ualuas & corrogāt, multaq. eiusmodi ad meditationē pietatis excogitat. ita sit, ut exēplo sint ciuibus uniuersis et societatis nomē, quod hic erat inuisū, iā sit in honore. Altera etiā Dei Matris nomine constituta sodalitas est, presertim ex Academicis: que ne suis quidē fætibus uacua est: nā & Theologie ex ea doctor & aliij duo ad probationis domum prodierunt.

MISSIO SVETICA.

ETSI Lutheranam post hæresim Suetica natio varijs sectarum pestibus afflictata, vix maiorem spem aliquam futuræ salutis attulerat; ea tamē postquam optima illa Regina, de cuius virtute iam scripsimus, vnicum in regno illo Catholici nominis propugnaculum, morte sublata est, effecta se ipsa deterior, ita furere in nos cœpit, vt propius factum sit nihil, quam vt tot annorum seges, tantiq. agriculturum labores funditus interierint. Nam præcipua regni pestis hæreticorum ministri, vna cum sui similibus, præclarant se noctis occasionem rati exterminandi nostros, delendæ q. memorie catholici generis, nihil non tentarunt, vt improbissimi sui voti compotes fierent. incitare igitur in nos vulgus, odia multitudinis inflammare, querere procerum, qui nobis obesse possent, opportunitatem & gratiā: eosq. per numina, per patriam, per sectam obtestari suam, suæ ne cause decessent, consulerent otio publicæq. rei, & cum communi, cum priuatæ saluti seruirent. tum denum dicere aduenisse tempus, cum peregrinæ religiones ejiciendæ, retihendæ pa:riæ forent. adire cum proceribus regem, flagitare vt Romanenses, ac Iesuitas potissimum regni finibus exturbaret. Sed cum Rex nequaquam inuidorum ac maleuolorum voces audiendas putaret, filiusq. Princeps sese magna vi pro Catholicis interponeret, eam moderationem adhibuit, vt in gratiam importunissimorum sup

plicum

plicum, reliquis in Poloniam dimissis, Sacerdotem
et nostris unum postulationi filij pietatiq. concede-
ret. tulerunt id aduersarij tum quidem animis non
inquis, sed procedente die cum sacerdotem illum
non male suam apud Principem collocare operam
animaducrterent, aliosq. sibi adiungere, qui sua ipso-
rum lingua conciones publicas adornarent; veriti-
ne is longius, quam sua ferret voluntas, progrede-
retur; miseri vehementius angi & maiora quedam
in nos moliri. Perbelle autem accidit, ut secundas
nuptias Rex appararet: ad quas cum ex toto regno
frequens vndeque concursus fieret, & nemo non, ut
solet, exporrigeret inter epulas frontem; multa de
nobis liberè vltro citroque iactata sunt: nullus ta-
men publicus tumultus extitit, priusquam a nostris
Quadragesima est inchoata. Quo tempore cum se se
Princeps a communī convictu cætuq. disiunge-
ret, & Ecclesiæ Catholicæ leges ritusq. scruaret,
erupit iterum in nos temulentorum hominum anda-
cia: & nos ipsos figere maledictis instituunt, terrere
minis, patronorum querere contra nos gratiam, re-
ginae aures recens sponsæ onerare mendacijs, ad re-
gemq. dirigere, ut è suo regno primo quoque tem-
pore nos extruderet. suscepit suorum causam omni
studio ac contentione Regina, & ut facilem muniret
sibi ad impetrandum viam, venit in mentem hoc
unum a rege dotis nomine postulare, ut si publi-
cam incolumitatem & otium amet, Papæ declama-
tores, regniq. vniuersi perturbatores abigat. Rex
cum se offendum iudicasset, amota Regina, rem agi-
tare

tare cum suis, & quid tandem tanto cum apparatu
peteret, sciscitari. inuehūtur illi subito in religionis
nouæ cultores, quo nostros nomine non obscure car-
pebant, accusare & prodiæ fidei ministrum quem-
dam, Stockholmensem Parochum, qui paulo ante
à Iesuitis abductus, audacter inter suos de rebus
Catholicis loqueretur. hunc ad Iudicium, hunc
ad pœnam depositunt. Rex ut aliquem seditionis
exitum inueniret, & ira percitos animos miti-
garet, iubet eis hominem obiici, in quem suo arbitri-
triu[m] animaduerterent. hunc illi in suam traditi-
um potestatem Stockholmio euocant, & miris mo-
dis exagitant. in hunc æque summi atque infimi pe-
tulanter insultant. luditur à ministris, & ut in ip-
sorum verba iuret, ad aras usque pertrahitus.
quod ille cum constantissime recusaret, & nefarias
illorum religiones execraretur ac ritus, plagi ome-
natur atque conuictus: cogiturq. vestes, quibus
suis in templis vti solent, induere, easdemq. iniectas
per vim rursus detrahunt, summo dedecore atque
ignominia. tum laruatus Antistes pulsat scapulas
baculo, & in custodiā abripi iubet: quò dum ra-
pitur, ab ipsa quoque plebe, qua tateruatim ruebat,
misere conscius est: ut miraculo prope fuerit; non
eum furentis multitūdinis impetu obrutum esse.
Hoc ita male multato, ea crudelitate nondum sa-
turi, in aliud quemdam Catholicum irruunt, & in ho-
spitio nihil clementius tractant: alios vero Ca-
tholicos, quos reperiunt, vel eadem feritate diue-
xant, vel in carcere tradunt. hos minis, illos ter-
rent

rent iniurijs : principemq. virum nostris partibus
vehementer addictum, suo nunere & loco morient.
nec multum absuit, quin suam in nos nondum sa-
tiatam crudelitatem expromerent. non enim de-
erant, qui in nos quoque minas intenderent, sicas
vibrarent, voce terrorerent. ac licet nihil in Sacer-
dotem nostrum metu Principis ausi sint, is tamen
ex catholicorum iniurijs ac calamitatibus, quibus
mederi non poterat, omnium maxime torquebatur.
erat enim per regis nuptias sublata iudicia, mu-
tum erat forū, infirma Principis auxilia, cui ne adi-
tus quidem patebat ad patrem. quo circa præcipuis
quidam minister, qui et à suis Archiciscopus no-
minatur, celerrime Stockholmiam aduolans, in spem
venerat euertendæ funditus rei catholice, & vero
propius factum est nihil, quam ut scelerata consilia
funestum exitum sortirentur. sic enim ministri furo-
re incitata plebs est, ut toto foro volitaret ferro ac
contis instructa. Rex tantam hominum insolentiam
diutius non ferens, durissime co accepto ministro,
compressoq. aliquantulum hereticorum turba,
mittit illico ad nos, ut quieto solutoq. sint
animo. eximiq. iubet Stockholmensem Paro-
chum e custodia, & improborum acta rescindi.
Sed ne Deus quidem passus est diutius tantam im-
probitatem inultam atque impunitam abire. al-
lios alijs calamitatibus & malis affecit. quosdam
fulmine, alios repentina immissa morte prostra-
uit. nonnullos aquarum vis, quosdam mor-
bus pestilens interemit: atque in his regias quasdam
ancillas

ancillas Reginæq. fratrem & sororem. Stockholmiæ sulphure pluit, aliaq. sunt animaduersa prodigia, maiorum fortasse cladium malorumq. prænuncia. sentiet aliquando hæreticorum obstinata peruersitas, quamquam in hominum sceleribus Deus con-nuet interdum; non tamen indormire; debitasq. pænas in suum tempus maleficiis reservare. Princeps in tanta hæreticorum nequitia, antiquam tamē pie-tatem obtinet, quotidieq. magis animum in religio-ne confirmat. quin sorori quoque stimulos admo-uet: ut quæ leuitate quadam à veritate deflexit, eā, si possit, ad penitentiam facti reducat. nihil autem est quod Deo duce desperet. Missus ad eūm concio-nator est, qui Germanc nouit, cui frequens dat ope-ram auditor. nec ei propediem Sueci deerunt: est enim ad insituendum Sueticum Seminarium expo-sita iam pecunia, quam proxima Regina legauerat. Itaque in Polonia breui nos confidimus habituros; unde ad eam iuuandam tuendamq. nationem, auxi-liorum opportunitas peti possit.

MISSIO AD AVLAM REGIAM:

SED cum è varijs nostrorum itineribus, tum è Sacerdotis nostri missione ad aulam Regiam, multa ad animos profecta sunt commoda. Cum enim sapientissimus Poloniæ Rex nouem annis ante in Prussiam venisset, ut Gedenenses defectionem meditantes, ferro armisq. in officio contineret, id quod brevi Deo duce admirabili industria ac virtu-te

te perfecit. Palatinus Sendomiriensis Mariaburgensis arcii præfctus, vt regis pietati, quem concionibus teneri latinis animaduerterat, gratificaretur, aliquem eiusmodi concionatorem à nostris impetravit, qui missus vna cum comite Mariaburgum, non modo propter ingentem vim procerum, virorumq. nobilium, sed etiam propter regias copias contra Gedanenses paratas, in spem venit vberis frugis, cum regi se probasset, auctor præfctus fuit palatino Podoliae, vt primo Moscouiticæ expeditionis anno, (is fuit seculi huius septuagesimus nonus) concionatorem illum Polonicae concionis gratia haberet in castris: erat enim tum regi à concionibus singulari prudentia ac doctrina vir, Stanislaus Sorecolouius: quem postea domesticis vel negotijs, vel valetudine, impeditum cum dimisisset, discedere à nostro, quem iam gustauerat, non est passus. Eo igitur domi militiaq. quintum iam annum usus est, & hunc perpetuo apud se habuit. & quamquam pater, vt ab aula dimitteretur, non semel egit, non quod operam suam meritissimo regi non libenter impenderet, sed quod vita illa minime consentanea Societatis rationibus videretur; tamen cū eo rex carere non posset, negaretq. fore, ut quisquā hunc sibi oculum (sic enim patrem appellabat) eriperet, non repugnandum regiae voluntati fuit, nec tristitia causa præbenda nostri ordinis amantissimo: præsertim ubi exploratissimum esset, tam honestam modestiamq. aulam non modo disciplina patris nihil officere, uerum etiā spē afferre utilitatibus

& fructus. Ac si præcipua dumtaxat aliquā, quæ in
 eius Ecclesiæ rem superioribus perfecta sunt annis,
 ad memoriam reuocemus; erit quod auctori bonorū
 omnium maxime gratulemur; quo illa duce atque
 adiutore sunt gesta. Profuit enim assiduitas concio-
 num, non modo in castris multitudini militari, sed
 in vrbe etiam, cum ceteris ciuibus, tum hæreticis.
 habebat sacerdos hic conciones persape binas, polo-
 nicas ad populum, latinas ad regem: est enim rex
 Hungarus, & ob id magis in Latino, quam in poloni-
 co sermone versatus: quamquam confluentum ad
 se procerum gratia, qui latine non satis norunt, polo-
 nicas etiam statim temporibus audiebat. Ex aula
 multus quidem extitit fructus, sed nihil ad eum, qui
 ex ipsa multitudine captus est: cum enim hic pra-
 ter catholicos, hæretici, schismatici, iudei. &c. ver-
 tur, vnicuique generi ita cōsulitur, ut in ijs iuuāndis
 nullum commodum negligatur. Et vt ordinar à Iu-
 dais; Grodnæ in eorum synagoga, pater exclusis pue-
 vis feminisq. ipsorum tamē permisū atque concessū,
 verba fecit: instituitq. ad eorum pellendas tenebras,
 frangendamq. perfidiam, frequentes tūm publicc, tūm
 priuatim disputationes. cuius labores ne inane esset
 temereq. suscepit, sua quoque Deus addidit auxilia,
 & surdorum aures ad veritatem, quam docebantur,
 aperuit. agnouerunt Messiam adolescentes Iu-
 daei quatuor: feminæq. due ad Christū iam adductæ,
 in proposito confirmatæ sunt. His par Tartarorum
 accessit: cum sint Tartari Christianæ religionis ho-
 stes non minores capitales, quam Iudei. Quod ad
 hære-

hæreticos & schismaticos attinet, centum amplius schisma, aut hæresim reliquerunt: restitutiq. sunt Ecclæsia hoc tantū anno septem & quadraginta, præter eos, qui repudiato schismate, ad eiusdem fidei cōmunionem societatemq. redierunt. Matrona nobilis vigesimum & eo amplius annum addicta Luthero, cum patris nonnumquam concionibus interesset, et si in sententia illa quidem peruvicaci obstinatione persistabat; acrioribus tamen conscientiæ stimulis agitata, statuit de orthodoxa religione inquirere diligentius: non tamen ad eā animatum prius adiecit, quam disputationem cum suæ sectæ ministris patrem ipsum aspexit. euocatus est Grodnam minister hæreticus, cum eoq. acris est suscepta contentio; cæptaq. utrinque cum sacrarū litterarum auctoritate, tum rationum momentis veritas agitari. sed cum ministrum non eruditissimum pater premeret, exclamat ille, imparatum se venisse Grodnam, & inscitiae confessione excusationis latebras querit. facit potestatem pater, ut in diem tertium sese comparet: & quod fidentius audaciusq. congrediatur, suam illi fidem astringit, nullum se præparationis laborem suscepturn. ad diem dictam redditur ad pugnam, & pro opibus certatur utrinque. sed cum noster ille perstringeret aduersarium, & Euangelij verbis aperte refelleret; is superbissima elatus inscitia, vociferatur, eum qui offerebatur ex sacris litteris locum, dignum esse, qui è sacris ipsis voluminibus eradetur. hic in risu soluti, qui aderant, ea præsertim matrona, quā dixi, cum homine doctrinæ genus fun-

ditus aspernantur. matrona vero ipsa postridie iniue-
teratam eiurans hæresim, Sacerdoti nostro peccata
confessa est. hanc filia annos nata quattuordecim,
quæ numquam rite animum expiauerat, imitata
mox est. sed matris ad Ecclesiam reditus, quanta
Letitia Grodnam, aulamq. compleuerit, dici vix po-
test: tum quia in hæresi animum iam obfirmauerat:
tum quia naturæ donis erat instructior, & hæreticis
cognitionibus plenior. à quibus illa cum vexare-
tur propter eius ad nos discessum, fecit Deus, ut eā
breui ex huius vitæ molestijs atque ærumnis ere-
ptā, in æternæ felicitatis portum sinūq. transferret.

Dux quidam genere ac virtute clarus, cum ad Ca-
tholicos schismatico inuito patre transisset, idemq.
fecisset uxor inuita matre; solati⁹ subsidijq. caussa
Sacerdotem hunc nostrum accersiit. qui cum per-
missu regis Grona Zditouiam tridui ferme itinere
excurrisset, aula quidem ducis gratus admodum
fuit; at coniugis matri ita non acceptus, vt eum in
præcipua aulæ sua parte cōcionari passa non sit; sed
locum alium angustiorem exortendæ ducis filieq.
pietati permiserit. pater nihil ea re commotus, apud
ducem ducisq. familiam semel atque iterū verba
fecit: cuius cum perhonistica mentio coram matre
coniugis facta esset, libuit ipsi quoque concionanti
non audiissimas aures dare: potestatemq. concionis
fecit in ampliore sua aula.. dies tunc erat sacrosan-
cta Christi Passione nobilitatus, cuius ex meditatio-
ne fructus cum uberior explicaretur à patre, atten-
debat illa ad id animum diligenter; sed cum reliqua
concione

concione eos pater, quibus Christi mors inutilis foret, enumeraret, in eūq. numerum referret illos, qui cum Galatis sese ab Ecclesiæ Societate disiungerēt, Christumq. in seipsis quodāmodo in crucem agerēt; offensa heritate mulier, è media repente concione in interius se cubiculum proripit. pater ne feminæ stomachus à multitudine animaduerti posset, finem dicens fecit, mulieremq. solam paulo post conuenit, & sua ita oratione leniuit; vt & ab ea postea non semel, & ea iubente, ab eius sit Popis ac Sacerdotibus auditus. pater cum tempus dimitteret nullum muliebri consulendi saluti, Deus eam sic emolliuit, vt ad extremum non obscuram suæ sanitatis spem dederit: quam facile à Deo ipso filia probitas extor quebit. hæc enim vt palam Catholicam veritatem profiteatur, paucis diebus sacra confessione animi maculas sèpius eluit: & Bacchanalibus cum toto gynæco ad Eucharistia communionem prodijt, noluitq. cum matre ritibus interesse Ruthenicis. cumq. aqua sacra nonnumquā populu Popus aspergeret, ea vt quantum schisma detestaretur, ostenderet, ex aula, matre inspectante profugit. Mariti autem par omnino pietas, qui multa à suo ipso parente grauiatque indigna perpeccus, in sententia tamen persistit, & à recta religione ne latum quidem unguem discessit. Cracouia pater cum versaretur, cognouissetq. nobilem uirginem parente Anabaptista natam, baptismi cupiditate flagrare, nondum enim per salutares aquas duodeuigesimum iam agens annum, renata erat; obsequendum eius studiu

ac voluntati putauit . sed quoniam propter propinquos virginis , qui à Catholicorum institutis abhorrent , differenda res videbatur , illa mora impatiens surgit è sella , & Catholicis aliquot inspectantibus , ad Patris genua prouoluta , porrectisq. in precem manibus , Per Deum , inquit , te Sacerdos oro , ut mei miseratione te capiat , & sine mora baptizes . tum detracto serto bracteaq. de vertice , ad baptismum se ipsa composuit . quo impulsus pater ardore , veritus , ne sese malorum auctor diabolus interponeret , & hereticis incitatis , rem totam euerteret ; baptismum virginis contulit . acuit ea res initio paternas iras , sed postea vi diuina mutatus , baptismum filia & quo animo ferre cœpit , eamq. destitit insectari . Alia femina cum sathanæ , qui ei se per visum offerebat , partim donis atque promissis , partim terroribus ac minis inducta , sanctissimam Trinitatem abiurasset , se seq. sathanæ ipsi , dato etiam chirographo , tradidisset ; singulari Dei misericordia ad pœnitentiæ lacrimas se conuertit , ingemiscente ac fremente diabolo , tanta subito amissa præda . Mulier alia Caluini imbata doctrinis , & ab incubo turpiter agitata , ubi serio suam exuere turpitudinem cœpit , & præterita apud Patrem accusare peccata , tum demum obscenum illum dæmonem à suo corpore vitaq. compescuit . dum autem ad pedes Sacerdotis abiecta , sua mulier peccata pandebat , matrona quædam in templum ingressa , ut ab eodem patre consilium caperet , videre sibi visa dicitur ingens quoddam & enorme caput , ipsius capiti Sacerdotis affictum : territa

terrata autem, ex his qui aderant, quæsiuisse, quis tandem confitentibus operā daret? responsumq. est, presbyterum Jesuitam. quod cum secum ipsa mulier obstupefacta perpenderet, sensisse fraudem dæmonis; voluisse uaferrimum hostem suis præstigüs consequi, ut mentem illam, quam de peccatorum confessione femina suscepisset, abiiceret. at illa ut hostiles conatus eluderet, eo id studio fecisse maiore. Valuit et ad stimulandos hæreticos, præter Sacerdotis nostri uocem, prodigorum interdum uis. Inuenis quidam in Podlachiaæ oppido cum feria sexta carnis uesceretur, nec ab hospitibus monitus resipseret; hospita, ut est feminarum ad inprecandum prompta natura, ad helluonem aliquando conuersa, Utinam, inquit, vel Diabolū vores: habuitq. subitu euētum mala precatio. carnium vorator à Diabolo captus est ob sideri: cumq. ad patrem delata res esset, adhibitæq. de more preces & exorcismi; sauire malus dæmon in Sacerdotem cœpit, furere in eos, qui aderant, iuuenemq. illum miserandum in modum excruciare, donec interclusis fauicibus encauit. fuit hæc res iuueni quidem ipsi luētiosa, etsi cum æquitatis diuinæ pæna ad sanitatem iam ante traduxerat; sed imperati ab Ecclesia iejunij contemptoribus, quos inopinatus casus perterritus, salutaris. Cereæ quoque Agni cælestis imagines, religionis Catholicæ quanta sit vis, non obscure hæreticos admonent. Narrauit pueri mater, cum quintum iam annum filium comitialis morbus urgeret, suspenso de cervicibus agno, plane esse cura-

tum. Alijs autem, cum eodem morbi genere tene-
rentur, constat, idem agni præsidium leuationi ac se-
luti fuisse: ut aduersarij iam pluris facere Catholicos
titus cærimoniasq. cogantur. Iam uero in rem Ca-
tholicorum quæcunque administrare Societas solet,
ea ab hoc uno sacerdote varijs locis temporibusq.
sunt gesta. multas flagitorum causas ademit, multa
peccata correxit, complures è meretricio quæstu
mulieres ad pœnitentiam frugemq. traduxit: et quæ
spem nullam frugis videbantur afferre, ei ciendas
curauit è castris, vel etiam ex aula: quam hac labe
contaminari rex integerrimus, toties olim dissimula-
ta non patitur. Porro in bellis contra Moscum ge-
stis, quibus bis cum rege, semel cum exercitus du-
ce pater interfuit, alia quoque cum animorum vti-
litate sunt facta. Omnia Ecclesiæ mysteria, id quod
ei per eos licuit, qui potestatem facere poterant, ad-
ministravit. Aegrotis ac saucijs, consilio opera au-
xilioq. tam in humanis, quam in diuinis, una cum
ijs, quos ex Societate habebat adiunctos, præfò
fuit. Iacebant in tentorio quodam è varijs settis at-
que nationibus saucij circiter quadraginta, quibus
omnibus is semper aderat, & ad quærendas animi
medicinas, (nam corpora regij chirurgi sedulo ipsi
curabant) singulos excitabat: nec paucos ex eo ten-
torio ad sacramenta perduxit. Obijciebat se militi
cuidam diabolus, eq. laqueum, ut sese interime-
ret, porrigebat. sed hanc prædam pater extorsit,
militemq. cælestibus munitum præsidij è dæmonis
subtraxit insidijs. alijs qui in suis rebus asperis tur-
pissimam

pissimam cogitabant diabolo deditonem , pari opitulatus est cura. Magus , qui suis præstigijs ingens sibi pepererat nomē, eius explicatis fraudibus, haberī cōptus est minor . is sine suis sumptibus dabat amicis epulum sane quam instructissimum, in eiusq. mensam dapes inferebantur cum varietate & copia, tum conditione præstantes ; vnde tamen , sciri nō poterat: vix enim eius in hospitio focus ardebat, nec escarum pro eo aliquid aliquis in aula parabat . effigies repente multas tum viuorum, tum mortuorū mirabiliter proferebat, explicabat hominū cogitationes, suisq. vt dixi, præstigijs magnā sibi vbiique gratiā famamq. collegerat . pater oblata occasione cōfutare magicas artes aggressus, multos de fraude deduxit; hominēq. ignobilē reddidit , ne si ei fides à simplicibus haberetur, multorū salus uocaretur in dubiū. cōciones & Polonicas , & latinas sub tētorijs, interdū etiam in apertis cāpis habebat: præter has etiā alias vel hostile ante conflictū, vel post victoriā. quāquam et rex studio diuini honoris accessus, facē ipse ceteris præferebat ad omne pietatis genus. militares prohibebat rapinas, curā sedulā gērebat agrorū, sextæ feriæ ieuniū , vt Polonorū consuetudo fert, sancte ac religiose seruabat: & , vt diuina beneficentia memor, agēdis pro victoria gratijs ita erat intentus, vt psallere cum reliquo canentiū choro publice nō puderet.nec uero vbi victoriā ex hoste deportasset, quicquam habebat antiquius, aut aliud magis cogitabat, quā vt nouis nos Collegijs ac sedibus augeret. Atque hæc ex castris aulaq. præcipua,

PRO-

PROVINCIA AVSTRIA.



AB E T Austria de nostris decem circiter, ac ducentos. Vienna quinquaginta. Pragæ quinque & quadraginta: quamquam hic postea numerus, alijs alio dimissis, nō mediocriter est imminutus; ut etiam Olomucij, ubi quamquam unus initio & quadraginta degebant, postea ad duodetriginta numerus redijt. Gracij fuere tres & quinquaginta. Brunæ quattuor circiter & triginata. Obierunt septem. In Societate cooptati minimum ad viginti.

OLOMUCENSE ET GRAECENSE Collegia.

OLOMVCII caluit solito magis hoc anno, seu præsentis pestilentiae formidine, quæ sæpe nec opinantes aggreditur, seu promerentai Jubilai caussa, quod nouus Pastor toti Christiano orbi proposuit, studium ac consuetudo sacramentorum. Itaque ubi Romanæ sedis auctoritas despecta iacebat, ibi cerni licuit paschalibus ferijs strata ante Sacerdotum pedes tria amplius hominum millia. veniunt et & corru-

de corruptis hæresi regionibus eius rei causa domi-
nica quaque luce complures; maluntq. more Prouin-
cie à suis dominis graues sibi multas imponi, quam
vt ab hereticis sacramenta suscipiant. Eiurarunt hæ-
resim partim remotis arbitris, partim adhibitis co-
ram testibus, plus minus quadraginta: sed sexcenti
amplius, quorum aut vacillabat religio, aut errori-
bus obscurata iacebat, cum in sententia confirmati,
cum ad puram sanamq. doctrinam vocati sunt. Mu-
lieres etiam que se palam in meretricia vita collo-
cauerant, quæq. domū suam omnium libidini patefe-
cerant, nostrorum industria se formarunt ad vere-
cundiam. Plurimiq. mucuis irritati odijs ex inimi-
citijs se receperunt in gratiam. ac denique alijs in
rebus animorum saluti commodisq. seruitum. Socie-
tate autem recepti sunt quatuor. Nec tamen cum
ciubus datur opera, obeundæ vicinitatis consuetu-
do deseritur. Mulier in vicinis locis diuturno impli-
cita morbo, cum Catholicum Sacerdotem, cuius co-
piam habere non poterat, confessionis causa requi-
reret, cognito nostri Sacerdotis aduentu, mittit illi-
co qui patrem roget, vt ad se diuertat. gerit pa-
ter mulieri morem, & prebet operam confitenti:
pauloq. post omnibus soluta vinculis in cælum per-
uolat.

E A D E M G RÆCII in querenda ani-
morum vtilitate sedulitas. Lutherani aliquot ad Ec-
clesiæ Catholicæ auctoritatem se contulerunt: erat
in his quidam, qui à Cœnobij disciplina in hæresim
lapsus, acer sua secta concionator enaserat. is uxo-
rem

rem habebat et liberos: sed postquam cum Deus ad lucem, quam fugerat, reuocauit, relicta coniuge liberisq. præter unum marem, Græcium cum filio venit, ubi diu multumq. probatus, magna suæ constanza documenta præbuit. nūc facta à Summo Pontifice potestate, parœcia eidam præest tanta cum laude studioq. ut qui ad animarum perniciem & fraudem incumbebat, ad earum nunc salutem & defensionem suas artes cogitationesq. cōuertat. Hic quoque in egenos collecta stips est, et iracundia hominū obuiam itum. Ceterum satis ex sententia diuina res agitur. Archiducis benignitas quotidie magis in nos elucet: nam ut ijs populis, qui sibi parent, varijs implicatis erroribus subueniret, cum iam antea Societatis Collegium instituisset, postea nequaquam ea liberalitate contentus, maiora quædam aggressus est. publicum Gymnasium, id quod diu in animo fuerat, adiunctis ad superiores reditus alijs, bis mille aureis excitauit, in eamq. rem iussit nobis libros de cœnobij cuiusdam bibliotheca suppeditari. Fecit etiam, ut cum iam inde à primo ortu Collegij, communis nobis esset urbano cum parocho templi usus, non sine magno utriusque partis incommodo; ea nos molestia leuaret. potestatemq. à Summo Pontifice impetravit, sibi ut liceret in aliud templum iura omnia curialia cum Parocho ipso transferre. ita Societas multis solita difficultatibus, commodissime suo templo iam vtitur. Sed tam lætis rerum nostrarum euentibus mærēt videlicet aduersarij, nec occultare marorem possunt; dū de noua academia nescio quid edorati,

odorati, strepere pro suggestis incipiunt. quicquid ab Archiduce, vel ab eius consiliarijs publice fit, id nostrorum suasu impulsuq. fieri dicunt: ut nuper, cum ciues quidam, qui contra principis editum ad hæreticorum synagogas acceſſerant, pœnas dediſſent; ipſi in nos confestim conclamarunt: cumq. supremus inter eos pastor, quod eiusdem mandata principis contempsisset, ex eius ditionis finibus exulasset, id quoque in nostra consilia improbissime retulerunt: nimis ut nos ipsos in odium & inuidiam apud populum vocent. sed Deo nixos parum videlicet eorum sermo nos mouet; multo minus inuidia, quam Catholicorum benevolentia compensat. placare certe cohabit Deum, ut cœcos aliquando respiciat, nec ture ad mortem sinat tam præcipiti lapsu.

COLLEGIVM VIENNENSE, & Pragense.

VIENNÆ quantum nostri possunt, tantū animis custodiendis inuigilāt: quod ut commodius agant, non desinit Dominus nostrum numerum augere. auxit fratribus quindecim. nec minora ex hæreticis lucra dedit: quorum iam centum & sexaginta catholicæ assentiuntur Ecclesiæ. his licet annumerare non paucos, qui cum in tanta sacrorum turba nunc catholici, nunc hæretici viderentur, non modo ritæ cōsuetudine, sed etiā sacræ cōmunionis usu, velut uarijs iactatiſtib⁹, tandem ad solidā fidei p̄trā adhæserūt. Gymnasiū quod et multa et clara nobilitabat iuuentus, pestilētia iterū cōtagione disiectū est

est. et si enim grandior retinetur etas; tenera tamen
in suas domos ex magistratus decreto remittitur.
sed ex utroque auditorum genere partim pestilen-
tiae metu, partim magistrorum inopia, alios alio ne-
cessere est commigrare. Nostros autem fœdis hisce
temporibus usque eò diuina prouidentia protexit,
ut in multis saepe periculis sine periculo videantur
fuisse. nam & ijs, quos fœda lues occupabat, oport-
eruit adesse non raro, & in coniictorum atque alum-
nerum contubernio perdifficile fuit, tot adolescentes
ab eo maldo, quod bis terue in eorum quasi visce-
ribus hæserat, vacuos liberosq. seruare. nec tamen
vel ex nostris, vel ex ea iuuentute desideratus est
quispiam. Cum morbus vires intenderet, placuit no-
stris, ne Catholicis sua deesset opera, & Patribus duos
legere, eosq. habitatione à reliquis segregare, ut cū
necessitas vel charitas suaderet, ictis pœstilentia ho-
minibus præstò essent. id quod ab illis magna tum
humanitate, tum ciuitatis approbatione factum est.
Sed non ijs tantum, qui agris erant corporibus, sed
ijs etiam, quorū animi laborabant, opportunis me-
dicamentis occulsum est. effectumq. ut qui pœnas
debebant legibus, candentes forcipes, & grauissima
quæque supplicia aequo animo fortiq. perferrent. In-
ter hos quidā triginta & amplius. cœdibus infamis,
quiq. grauidarum ventres disseauerat, obtruncatisq.
enulorum fœtuum palmulis, eorum etiam corda
torarunt; atrocis sententia damnatus, magna doloris
& contriti animi significatione acerbissimum hor-
ribleq. supplicium subiit.

Non

Non minor in tuendis proximis oppidis cura fuit.
 In oppido Nikelsburgensi, quod cum reliquis pa-
 gis, nostrorum laboribus ad Catholicam religionem
 paucis annis ante se retulit, plurima est excepta con-
 fessio; hereticiq. triginta ab errore & interitu libe-
 rati. Actum etiam de erigendo in vicino monte sa-
 cello, ut & profani ritus, quos uitiosa consuetudo
 inuexerat, melioribus religionibus corriganter; &
 sit denique locus aliquis, quod supplicationis & con-
 cionis cauſa populus coeat. Excurrit etiam in Mo-
 ratiam Sacerdos quidam, illustris viri precibus euo-
 catus: cuius profectionis munus extitit, ut non mo-
 do eius loci Princeps cum coniuge & filia, sed tota
 etiam familia e capitibus sexaginta, sacris confessio-
 nis Eucharistie q. mysterijs animos expiarint. Hic
 cum Sacerdos ille grauiter agrotaret, ea charitatis
 ac benevolentiae significacione a tota nobilitate, ac
 familia, que ad leuationem facerent, suppeditata
 sunt, ut in suorum complexu fratrum Sacerdos ille
 sibi vinere videretur.

P R A G A E quoque ad sanandos hereticos,
 nostrorum labor industriaq. dirigitur. ac si ij, quo-
 rum nulla habita ratio est, exipientur, septem &
 triginta resipuisse reperientur: in quibus nonnulli
 quadragesimum & quinquagesimum iam annum
 in suis tenebris cæci iacebant. Multis præterea vi-
 ris grauissimis meditandi ratio commentandiq. di-
 uina magno cum fructu tradita est. Et quod in his
 Boemis partibus inauditum est, matrona nobilis-
 sima ita se ad nosiras meditationes exercit, ut
 repu-

repudiatis secundis nuptijs, viduitatem consecrauerit Deo. Ne egri quidem nostrorum requirunt officia, quorum vni, cum ita æger esset, ut eius salutis medici dissiderent; morbis animi sacramentorum medicina curatis, nulla interposita mora, corporis quoque curatus est morbus. Rei litterariae prosper item est cursus. frequentat academiam auditorum nobilitas & multitudo, augeturq. eius quotidianæ exiftatio, non modo afficiendis per honorifico Magistrorum gradu permultis, sed etiam comediarum spectaculis, actionibusq. præclaris: ad easq. regni proceres sæpe concurrunt. Affert etiam Gymnasio decus vñctorum domus, quæ ut contubernalium numero, ita genere floret, alitq. centum amplius adolescentes. Quæ uero domus alendis tenuiorum discipulis instituta est, ea quoque alumnos continet plusquam centum. ita à scholis nostris numquam suus decor abesse potest.

DOMVS PROBATIONIS.

Brunensis.

SUPERIORIS anni ruinas, quas ediderat pestilentia, uidetur hoc anno Deus uoluisse sare: magna est enim in hac domo fratrum accessio facta, quorum studia tota sunt in uirtute desixa. sed numerum nullum indicant, quæ ad nos perlatæ sunt litteræ. Non uitio cuidam generis nobilitate claro, cum Germaniae principe post exactos aliquot eius tyrocinij menses, honor in Ecclesia quidam, unde satiæ amplum

amplum rectigal quotannis capit, deferretur; is omnia constater reiecit; significauitq. Principi illi, se iam missos fecisse honores & vitæ commoda, gratiusq. sibi fore, si eam liberalitatem in Societatem pauperesq. conuerteret.

Alium quoque reis familiaris administrum, virū illum quidem multæ prudentiæ, sed simplicis tamen ingenij, eò sua virtus & sui ipsius despiciencia prouexit, ut cum in sacrificio Miſse inusitato quodam mentis ardore se effunderet coram Deo, puerum I E S V M in Eucaristiæ Sacramento suis ipsis oculis sine ulla dubitatione perspexerit. sed nihil attinet singulorum commemorare virtutes: tantum regandus est Deus, ut consimiles det exitus his principijs. Venio ad reliquos, quibus secundum suam salutem, proximorum quoque salus animiq. creduntur. hi nihil prætermittunt, quod ad reparandas tuendasq. animas pertinere videtur. Sanata sunt vitia permulta, prohibitæ cædes, finis odijis impositus, hereses ex obstinatiis discussæ peccoribus, mulierū, qua sua corpora in quæstum contulerant, pudori consultum, multorum denique animis sacramentorum administratione subuentum. Eadem fere in vicina loca constiterunt officia. concessit Nikelsburgum par Sacerdotum, quorum alter quadraginta pænitentes exceperit, qui exactæ vita maculas ignominiasq. confiterentur. Vir quidam primarius, cum non satis ex virtute atque officio vitam degeret, admonitus gravi morbo, ne vt corporis, sic animi salutem in discrimen vocaret; ad obeundum supremum diem, nosfro-

R rum

uostrum ordinem non excogitent, cum ceteris par-
cant; ea tamen sit vbiique Societatis existimatio, vt
si quis vel à dæmone putetur obseßus, vel amentia
morboq. correptus, quod non raro accidit; ad nos
potissimum concurratur: nec temere: ex ijs
enim nonnulli alijs atque alijs præsidij
sani atque incolumes, qui ægrî im-
becillesq. venerant, re-
cesserunt.



PROVINCIA GERMANIAE SUPERIORIS.



DECENTI & vndeuniginti de nosris in Germania superiore versantur. Ingolstadij duo & quinquaginta. Vnus & triginta Dilingæ. Sex & viginti Monachij. Quindecim Augustæ. Oeniponti quatuor, & viginti. Tredecim Halæ. Lucernæ sexdecim. Friburgi quindecim. Septem & viginti Landsperge. Mortui sunt tres. Quattuordecim aggregati.

INGOLSTADIENSE COLLE- gium, & Dilinganum.

INGOLSTADII Societas nostra pulchras ex hæreticis prædas egit. Christo reddidit quinquaginta: & ad conseruandam integritatem Catholicæ Religionis, Catechismi explanationem instituit: quò se conferunt cum suis auditoribus ludi magistri non pauci. Quod attinet ad domesticas res, additæ sunt schole duæ, vrgente clarissimo Principe, deq; nobis optime merito, Mathematicorum & Dialectices. Alumnis vero suis Bauariæ Dux, ceterisq; cōtubernalibus pro eximia eius in omnes liberalitate, elegans

elegans in primis, & amplum contubernium exstruxit. præsunt ei iuuentuti de nostris quatuor: & ut esset unde ei prospicere Societas posset, totidem eā fratribus Deus auxit.

NE DILIN GAE quidem susceptis pro animarum salute vigilijs sua merces ac fructus defuit. Ab hæresi quinque & viginti sunt absoluti: cooptatiq. in Societatem quinque, cum alijs tamen ad alios quotidie disciplinarum ordines dimittantur. Attributum est hoc anno Dilingano Collegio propter opportunitatem publicæ Academiæ, Seminarij pontificij id quod à Gregorio paulo ante institutum, mox à Xixto Quinto perhumaniter est confirmatum: assignatiq. anni redditus ad aureos mille ducentos. admissiq. hucusque tres, quorum unus theologiae, reliqui philosophie dant operam. cauerat enim certis litteris Gregorius XIII. ne qui cooptarentur alumni, nisi rhetorica, ac dialectica didicissent: ut quam primum reliquis exculti doctrinis in Christi vineam, suam operam laboremq. conferrent. ab his speranda sunt omnia, non minus quam à cetera, quā instituimus, iuuentute. Sane qui se suosq. animos tutando Dei Matri in sodalitate dederunt, ij, quò magis progrediuntur atate, eò clariora dant indicia virtutis. Quid enim voluntarias, quas à se se exigunt pæn. is? quid verberum disciplinam? quid ciliçinas vestes enumerem? inuentus est, qui se nudο corpore periuolutaret in nine: & qui hebdomadas totas omni se potionē fraudaret: & qui ad amplificandum voluntarie verberationis ardorem, in-

ficta vulnera acrisale consergeret. Quidam nixi
genibus, passisq. non sine dolore lacertis, rosaria inte-
gra percurrerunt. Alij sacculis denso lapillo refertis,
ne suauiter molliterq. cùbarent, nocturnis tēporibus
incubarunt. Fuerūt & qui dies complures agris in
fatore iacētibus ministrarent. deditq. interdū Domi-
nus sodalium precibus, vt ab ægris corporibus mor-
bos abigerent. Aeger quidam cum sodalium pietati
plurimum tribueret, ab eis sun. me contendit, vt pro-
sua ad Deum incolumente precēs funderent. placuit
obsequi studiose roganti: & decantatis ad Beatam
semper Virginē Litanijs, repente liberatus est æger.

Retinent nostri vetus institutum solandi iuuani-
diq. quacumque possunt ope, in nosocomijs ægrotos,
& quod magnæ admirationi ciuibus fuit, cæptum
est ad eos etiam adiri, quos à ceterorum hominum
cætu Elephantiasis longe segregat, neglectis tanti-
sper ritę periculis, dum desertæ illæ animæ, vel sa-
cramentorum præsidio, vel orationis solatio con-
firmentur.

In vicinis pagis plurima ad sacramenta multitu-
do cōfluxit, in ijsq. gesta permulta nibilo minora,
quam domi. Erat muliercula quædam hominum
opinione virgo, re tamen ipsa detestabile scortum;
quæ à dæmone suas mentis aberrationes ac raptus
habebat, quò facilius & turpitudinem suam notis
sanctitatis occuleret, & singularis sanctimoniac fa-
mam rumoremq. colligeret. putabatur ei esse
cum Gabriele Angelo magnus usus, ab eoq. sacram
Eucharistiam frequenter accipere. nec externi mo-
res

res ab opinione, quam sibi comparauerat, abhorrebant. habebat in honore sacros Ecclesiæ ritus, multumq. eius decretis ac dogmatibus tribuebat: de Societate vero nostra mirum quam honorifice loqueretur, quid multa & fictis simulatisq. moribus in fraudem vulgus induxerat; vt de ea apud se habenda, viri etiam inter se graues honestiq. certarent. nostri in re plena periculi, sustinere se ab omni assensu, negare, temere esse credendum, notas saepe dæmonis fuisse præstigias, notas artes, quibus feminarum genus elusit: præsertim quòd mulieris in cubili hostiæ identidem apparebant, quas sibi porrigi dicebat ab Angelo. Laborandum vehementer fuit, vt optima nobilisq. familia, apud illa degebat, de sententia desisteret. adduci domestici illi non poterant, vt crederent, dæmonis eas esse captiones: tantum feminæ tribuebant. testabatur matersfamilias, se vsu atque experimento cognosce, fieri illa diuinitus, hostiasq. quas ab Angelo datas diximus, à se in arca conditas asseruari; ex ijsq. splendorem emicare nonnumquam, testim diuinitatis, mutariq. hostiarum habitum ac colorem; quæ humanitus accidere nullq modo possent: sed quamquam extorqueri sibi hunc errorem domestici non ferebant, vicit tamen perseverantia nostrorum, vt et superiora omnia detestarentur, et veneficam illam è suis ædibus pellerent. Ingressa matersfamilias Sacellum, ubi ea maleficia latebant, hostias, quas considerat, promit, præsente Sacerdote nostro: nec eas amplius candidas reperit,

& lucentes, sed potius atras & purulentas, instar fluentium cataplasmatum. haec abreptas in ignem coniicit. atque hoc modo familia illa, fædissima superstitione, ceteri vero apertissima fraude liberati sunt. qua detecta nequitia, deprehensa est mulier quæ se vulgo castissimam venditabat, impurissimum fuisse scortum: ut vel hoc uno satis intelligi queat, quam non ex visis prodigijsq. ponderada sit virtus.

Destinati sunt duo de nostris ad Præpositum Eluacensem, qui & Eluuangæ & aliarum arcium, pagorumq. dominus est. quibus in locis multa eius rogatu, more institutoq. nostro sunt acta. Tres ad Ecclesiam Catholicam, plurimi ad pænitentiam redierunt: cumq. ea esset Eluuâgæ consuetudo, ut nisi qui ad Eucharistiam censerentur idonei, peccata non confiterentur; ereptus est ex oppidanis hic error, ostensumq. confessionis lege nemine excipi, nisi quos etatis imbecillitas excipit. Contra vero Extreme unctionis Sacramentum, cuius iam nullus erat usus, reuocatum. Catechismi etiam tradendi ratio prescripta: persuasumq. Principi, ut in eius Ecclesiæ rem, in eo quod diximus Seminario, adolescentes aliquot alat.

COLLEGIVM MONACHIENSE. & Augustanum.

MONACHIENSIS Collegij res eo fere sunt loci. Ab heresi absoluti sunt unus & viginti. Cuius trigesimum iam annum obstinatus in heresi,

hæresi, cum à primarijs quibusdam viris ad Ecclesiæ redditum vocaretur, surdas omnibus præbebat aures, dum ad eas unum de nostris admisit, cuius denique opera hæresim Deo adiuuâe repudiauit. Alius de Societate Sacerdos, dum animarum caussam sedulus agit, una eademq. opera alterius ciuis & animalium curauit & corpus. uocabatur huius ciuis salus in dubium, et iam sensibus penè omnibus loquēdij. vsu destituebatur, cum Sacerdos noster accitus diuidendis valetudinario nummis, certisq. votis rite nuncupandis, monet esse Deum ante placandum. obtemperatur patris monitis atque consilijs, & ægro vox statim redit. confitetur peccata, cælestiq. pastu se refouet, & habere melius continuo incipit; & postridie stupetibus omnibus sanus de cubili surrexit.

Scholas frequentant auditores supra quingenos. habentq. eorum sodalitia processus suos, ex quibus ad Societatem adscriptus est unus. Nec desunt hominum studia ad amplificationem rerum nostrarum prompta & parata. Auxit enim Princeps Guilielmus, ut vetera sua in nos merita recentibus officijs cumularet, rectigal instituti Collegij, in eamq. rem prædium quoddam adiecit, unde floreni capiuntur annui fere trecenti.

AVGVSTÆ ad euellendas hæreses cura omnis, studiumq. confertur. Duo & quadraginta repudiatis erroribus Ecclesiam Catholicam agnuerunt. quorum multi aetate iam decrepiti non longe aberant à sepulchro. Quidam etiam mulier exagitatus à Dæmone, cum multa Lutheranus minister

minister in eo liberando fruſtra tentasset, à Sacerdote noſtro liberatus eſt, & ad Catholicos aggredatus. Sed aduersus hominum hostem pro animis corporibusq. non ſemel pugnandum fuit. multis enim ſui interimendi viam tortuosus ſerpens ostendit. Cuidam lintea exuto interula, ut ea collum obſtringeret, imperauit. Alijs reſtes certis in locis, vnde ſe ſuſpenderent, diſpoſuerat. Non nullis, ut ſe in aquas mergerent, vnde numquam emergerent, perſuaderat. quibus tamen inſidijs obuiam à noſtris itum celeriter eſt. Quotidie autem frementibus aduersarijs, in diuinis obeundis capiendisq. mysterijs celebritas augetur: pupigitq. eos vehementer proximum Iubilæum, cum pœnitentium ea turba fuit, ut ingressi iam in ſpem rei Catholicae recuperandæ videremur.

Scholæ trecentis & eo amplius adolescentibus floruerunt, ſed alios alio diſtulit peſtilentia: ut enim inſolens, ſic acerrima fuit. terruit eo vſque ciuitatē, ut pleraque familiæ aut vrbe cederent, aut pedem ex ædibus non efferrent. ſperamus ea abeunte, celeb. itatem priſtinam redituram.

OENIPONTANVM, HALENSE, & Lucernense.

OE N I P O N T I nouem Deus hæreticis reſtum atque expeditum ſalutis iter oſtendit. & quò maior ad veritatem vel tuendam, vel comprehendendam aditus pateſiat, conueniunt Archidiſciſ

ducis iussu ad explanationem catechismi cum suis auditoribus ludimagiſtri.baptizatiq. sunt catechu-
meni duo.fidei iam imbuti mysterijs. confitentiu au-
tē ita in hoc, vt in HALENSI Collegio eadē quæ
solet & frequentia, et vtilitas fuit.mulierem aiunt,
cui nocturnus dāmon ob initum cum ea fædus spe-
cie ornatuq. sponsi sese ostenderat, varijs modis exa-
gitatam esse, tantumq. non ex hominum oculis ad
inferos asportatam: sed cum semel atque iterum pa-
tri nostro peccata confessa esset, tum demum dæmo-
nem conquiesce.

LVCERNÆ Sacerdos quidam dum ad So-
cietatis consuetudinem in rerum diuinarum exerci-
tatione versatur, Societatem ipsam, vbi & perpe-
tuo viueret & moreretur, elegit.Qui sacramenta in
æde nostra percipiunt, eorum magnus est numerus,
maior quoque futurus, nisi templi excluderetur an-
gustijs. Luerunt veteres & nouissimas rite culpas
fere trecenti.ea vero est quorundam pietas in tra-
ctatione sacramentorum, vt inuentus sit, qui totum
ſaſe quatriduum, quo se ad ea diligentius compara-
ret, sine cibo traduceret. Alijs autem & suam Deus
præsentiam mirabiliter declarauit . Virgo quadam
cum esset in angore, vt eam Christus uiso aliquo so-
laretur, sua ei dicitur vulnera, quæ sibi hominum
charitas inflixisset, exhibuisse, docuisseq. latere in
ijs & ipsius peccata virginis, & quæ sua cauſa to-
lerasset aduersa . Sed ne illud quidem ad declaran-
dam quorūdam in Deum fiduciam prætermittendū
est. erat matrifamilias vnica filia, sed multis onerata
morbis.

morbis.hernia, & paralysi laborabat, accesseratq.
fœda suppuratio: quos morbos eximere conati medi-
ci, cum periculum suæ artis fruſtra feciſſent, mu-
lier fiduciæ plena ad animæ ſuæ medicum, qui ei
erat à Confessionibus, Sacerdotem noſtrum adit. pa-
ter, quoniam ad ſanandam filiam vires humanae de-
fecerant, orandum monet eſſe Deum, ut pro ſua ipſe
clementia tot malis medicinam faciat. mater dicit
audiens pro filiæ incolumitate in suburbano facel-
lo Dei Matris, prodigijs miraculisq. claro vota fuſci-
pit. vix ea emiferat vota, cum illico filiæ ramices
emendantur. uouet iterum, ac tertio varijs in tem-
plis, varijsq. temporibus, & reliquos etiam filiæ
morbos eadem facilitate remouet. Mulier alia, cui
nim procreandi natura negarat, cum multum no-
ſtrorum sacrificijs precibusq. tribueret, adhibitis
quas implorauerat, precibus, præter consuetudinem
prægnans effecta, optatos liberos procreauit.

EVERTITVR & Lucernæ paulatim hærefis, ab
eaq. ſunt auerti triginta. eſt in his cōcionatoris hære-
tici filius, cui mors paterna ſaluti fuit. Habebat pa-
rens ad populum concionē, dumq. pestilentia ſemen
toto grege diffundit, & quifimo Dei iudicio repentina
morte corripitur, & in ipſo ſuggeſtu tota inspectan-
te corona, anima n edidit. deterritus filius, conſule-
re ſuis ipſe rationibus cœpit, & ne in manus Dei
uiuentis incideret, hærefi religionem, veritatem
mendacio prætulit.

FRIBVRGENSE COLLEGIVM,
& Domus Probationis Landspergensis.

FRIBVRGI discipulis pestilentiae metu alijs alio dilapsis, ipse quoque scholæ, quæ paulo ante floruerant, deflorescunt: nō carent tamen assiduis auditoribus; venustisq. dramatis allicitur Ciuitas, spectaculorum in primis cupida. quare Senatus & Doctorum & iuuentutis alacritate permotus, nouū nobis magnificumq. gymnasium adificandum suscepit. nec sibi desunt ceteri Senatores, quo minus priuata benignitate commodisq. nos augeant. Ex hac litterarum palestra ad nouiorum disciplinam missus est adolescens, isq. lectissimus. Educat autem Dei Matris sodalitas ad omnem virtutem adolescentes, ut iam optima queque de ijs polliceri tibi iure possis. atque ut quam concitato cursu ad perfectam officij rationem euolent, quasi oculis cer nas; Quidā è Sodalibus cum aduenam egestate morboq. confectum medio in foro vidiisset; Catholicum ratus ex Cruce, quam de collo gerebat, confessam prehensa dextera hominem tecto recipit; minime dubitans, quin id sibi Christus factum putaret, quod vni ex eius minimis factum esset: eumq. victu ceterisq. rebus ad curationem necessarijs liberalissime semper habuit, dum exacto mense moritur hospes: ut eò forsitan ab Angelis deferretur, ubi suo benefico gratiam cumulate referret.

Nec minori sunt animi curæ, quam ipsa corpora.
Perdi-

Perdit quidam adolescentes nefaria accensi libidine, cum toto impetu ferrentur ad scortum, de industria adiungit sese comitem sodalis unus: cumq. ad meretricias ædes ventum esset, ea dicendi vi, ac gruitate in vitium veneris est inuectus, vt impuri illi homines, pudore lacrimisq. perfusi, mentē illico morsq. mutarint.

Eiurarunt hæresim in hac ciuitate septem & quadraginta. plurimiq. quorum animi ex hæreticorum consuetudine fœdis vagabantur erroribus, saniores sunt imbuti doctrina. Ciuis primarius cum ad Caluinianam vanitatem à veritate Catholica deflexisset, ne id temere fecisse videretur, libellum Senatus obtulit, quo se & de abiecta religione purgabat. & gratiam à suis ciuibus conabatur inire. res erat propter auctoritatem hominis plena periculi. metuebatur, ne qua ciuium ad perniciem fieret inclinatio, aut cum scabies illa sensim cœpiſſet irrepere, passim dira contagio permanaret. verum partim non vulgari diligentia Cleri, partim perspicuis nostrorum rationibus contra eum libellum in medium adduxeris, quicquid vipera illa turbarat, feliciter est soppitum.

L A N D S P E R G A E si ea, quæ Nouitiorū sunt, omittantur (omittitur autem quicquid nihil continet singulare) hoc tantum dici potest, contra hæreticorum perfidiam satis acriter dimicari, trāslatosq. esse ad Ecclesiæ Catholicæ obedientiam omnino sex, aliaq. multa magno animorum bono suscepta.

PROVINCIA RHENI.



AB VIT hoc anno de nostris Provinciis Rheni trecentos, & viginti-quinque. Coloniae unum, & trinqua. Treuiris duos & septuaginta. Moguntiae undesexaginta. Heribipoli duodequinquaginta. Spirae septemdecim. Fuldae duodetriginta. Heiligenstädi quatuordecim. Molsheimi septem & viginti. Sexdecim Confluentiae. In Paderbornensi sexdecim. In Luxemburgensi tres. Obiere nouem. Iniere Societatem unus & viginti.

COLONIENSE COLLEGIVM & Treuirense.

IN Colonensi Collegio omnes omnia ad animarum salutem conferunt. Hæretici duodetriginta perspectis sue sectæ mendacijs facile sibi persuaderi veritatem Catholicam passi sunt. complures autem, quorum lababat in Ecclesia fides, ad constantiam reuocati. Gymnasiū (ut his temporibus) satis referunt auditoribus: quamuis enim multi in Belgium, unde huc exulauerant, se retulerint, multosq. uel famas

fames afflixerit, uel sustulerit pestilentia, milesq.
hæreticus omnia circum urbem longe lateq. vasta-
rit; tamen auditores remanent septingenti & quin-
quaginta, quorum pietas in proximum quemque
redundat. nam & à flagitijs homines retrahunt, &
doctrinæ Christianæ rudes instituunt, & de suis for-
tunis in egenorum uictum multa conuertunt. inter
hos palman ferunt, qui latent in tutela Dei Paren-
tis, quorum Sodalitas feruet his studijs quotidie ma-
gis. Declarat in placando Deo assiduitas precū, cre-
bra iejunia, uictus asperitas, officiosa in calamitosos
ac miseros charitas. quibus rebus singulis adiungi
possent exempla, si aut ea dissimilia essent eorum,
que commemorata sunt alijs, aut instituti nostri ra-
tio pateretur. Nec uero è tam probe instituta iuu-
tute desunt, qui Societate nostra ineunda, perfectæ
uirtutis iter ingrediantur ingressi sunt octo; atque in
his, Coloniensis cōsul's filius, qui parentibus annua
pugna deuictis, Apostolici Nūtijs auctoritate, tandem
uoti cōpos est factus. Alius nobilis adolescens media
susceptus & educatus in hæresi, cum audito con-
cionatore nostro, Societatem subito adamasset, tradi-
tur à parentibus in custodiam, ne cogitata perfice-
ret. sed cum diuinum numen crebris precibus im-
ploraret, extorsit à matre denique, ut per eam sibi
liceret, Dei salutandi caufsa proximam secedere in
ādem. inde Coloniam uersus iter arripit, omnis
expers uiatici, omni subsidio destitutus. in hac ino-
pia & egestate non puduit Christi cauſa, mendico-
rum more quarere passim cibum: cumq. ad caupo-

nem diuerteret, nec soluendo esset, pallium obtulit pro argento. sed adolescentis probitate perspecta, pecuniam capo remisit. Itemq. Rhenum cum traiiceret, & nauum nauarchus exigeret, oblato iterum pallio, iterumq. sibi relicto, tandem peruenit ad nos, suo doctus exemplo, quam eis nil desit Christus, qui se nudi & expediti sequuntur.

T R E V I R I S quoque nostri, omnes partes alienae salutis & cum alacritate suscipiunt, & cum laude constantiaq. sustinent. Annectitur huic Collegio Novitiorum domus è sex & viginti tironibus. quotidieq. ad nostram familiam alios expolit Deus: sed angusta res facit, ut per paucis tantū aditus pateat: quibus autem patuit, iij partim secum, partim cū parentibus bella gesserunt, & ex utroque certamine triumpharunt. Quidam cum sciret se sterilium partum votis in lucem editum (iij enim, cum prole natura negaret, auctori naturæ Deo voverūt, se ei filii, si quem parerent, dicaturos) ut parentū vota persolueret, Societati se reddidit: tanto ardenter in colenda religione futurus, quanto plus imponitur oneris gemina obligatione noti, parentū; & sua. E gymnasio, quod ostingētis fere auditoribus cōtinetur, in Societate adsciti sunt tres. E templo autē sacrisq. confessionibus, quæ quidē fuere creberrimæ, copiosa ad animos profecta utilitas est. Feminis, quæ se totas ad alienas libidines porrigebāt, persuasum est, ut et animo & pudori consulerent. Rescissa sunt etiā matrimonia nefaria: plurimiq. ab hæresi reuocati. Et quoniam hæretici quidā & in sacras imagines, & in ipsa

S sacro-

Sacrosancta Eucharistiae mysteria sacrilegas ausi manus iniijcere, plebēdi pro meritis erant, curatū est à nostris, vt ex his aliqui resipiscerent, inbutiq. antea veritate, suppliciū a quo animo ferrent. Adhibita est præterea desperatione oppressis medicina solatijs, & quoad fieri potuit, satanae dolis occursum. Mulier cum ex dissidio coniugis mærore tabesceret, diabolus in atrum virum fœde conuersus, spetandum se feminæ præbuit: cui quamquam primò terrori fuit, mox tamen metum familiaritas sermonis ademit. narrat alicnissimo à se animo coniugem esse, nec spem ullam redintegranda gratiæ relinquī: quo circa viro posthabito, se maritum sequatur. mulier va fri hostis circumuenta fallacijs, & largis capta promissis, admittit incubum, auroq. multo dotis loco locupletatur. sed cum manus auro argentoq. plenas existimat; sterquilinio sentit esse repletas. redit iterum incubus, & in viri necem venenum offert, negatq. ullam fore vñquam animi quietem, nisi is de medio tollatur. cum mulier tam sanctæ memor necessitudinis abnuiisset, eamq. diebus aliquot lapsis in superiore adiūcum parte diabolus offendisset, nec tamen ad id scelus adigere potuisse; repulsa contumeliam non ferens, medium arripit, ac de scalarum gradibus præcipitem agit. consilium miseræ datur à prudenti femina, vt rem cum Sacerdote nostro communicet, & animum accurate componat: sic fore, vt tanto malo leuationem inueniat. paruit consilio mulier, expositaq. re tota Sacerdoti nostro, quicquid etiam ex admissis in superiore vita noxis stimulabat ani-

animum, confitetur. ab eo spe diuinæ veniæ ac boni-
tatis erëcta, monitaq. vt in tam graui periculo soq.
certamine ad sacramentorū præsidia crebro confu-
geret; minuit imbecilla femina uires fortis armati.
Tulit hoc diabolus perinique, & mox mulieri perfidiam
exprobrans, eius etiam deridere stultiā, quæ
vnius hominis instructa monitis, aliquid se posse con-
sideret: vicit tamen muliebris pietatis perseueran-
tia, vt, quamuis ei interdum sese hostis obijceret,
obijciatq. eminus etiamnum; eum tamen crucis si-
gno facile fugeret: speraturq. fore, ut propediem diui-
nis stratus opibus euanescat; & femina certamen
horreat, qui tantum suis telis viribusq. præfidit. Sed
non vni modo artibus humanas animas ad æternā
felicitatē genitas inuidus hostis oppugnat: alijs alias
ad perniciem tendit insidias: sed à nostris opera da-
tur, vt in sua quisque pugna periculoq. iuuetur. Pro
sagarū ac ueneficarū salute, quarū in his locis ma-
gnus est numerus, pugnatū frequenter est. ha si forte
in suo crimine deprehēdantur, quod quotidie fit, ui-
uis integrisq. corporibus exuruntur. sed eas ad extre-
mū supplicium nostrorū pietas comitatur, tanto cū
illarum bono, ut genus ipsum mortis & detestatio
uit & præterit. spem afferat non exiguum, fore, ut eæ
celeri flamma, sempiterna vitent incendia. Ex his
una tenerū puerum octo circiter annos natum, suis
præstigiis ac carminibus circumuentum, in eas se-
des solita erat abducere, ubi per licentiam noctis
ac tenebrarum nefarij lusibus indulgerent. hic suæ
quoque partes puero dabantur, ut dum illæ chœras.

plinam in Prumiense cœnobium. est hoc cœnobium è B. Benedicti familia, quod octo millia passuum Treuiris abest, à multis olim Gallia Regibus locupletatum & auctum. octauum iam mensem morantur hic nostri, non sine magna, tum cœnobij, tum vicinitatis vilitate. reuocata est vetus psallendi precan-diq. consuetudo, diurnis nocturnisq. temporibus: sublatæq. singulares mensæ, & ut religiosos cœnobitas decet, vna omniū communis inducta: repressa etiam multarū rerum licentia, & ad sanciendā cœnobij disciplinā, sua cuique nox & proposita pœna. Vicia in vero iuuentus, et pietate, et literis informatur, sed, quod caput est, multo magis præceptis institutisq. Christianis, quorū vulgo magna est ignoratio.

COLLEGIVM MOGUNTINVM, Heripolense, & Spirensse.

NE C vero in Moguntino Collegio languidiores facti sunt nostri, quorum omnium animus ad liberandos à periculis animos est intentus. Quatuor aucti sunt socijs, quorum unus magister artium è Romano Germanorum Collegio profectus, ad eos denique rediit, à quibus bene viuendi disciplinā ac litterarum acceperat. Nec parua ad Catholicos fit accessio. sexdecim enim accesserunt. Sed domi eodem loco sunt omnia, eaq. cum reliquis collegijs dormibusq. communia. Francofurti, ubi celeberrimum est Emporium, concionator è nostris spatio fere trimestri magna Catholicorū, quorū exiguus est

numerus, voluptate exceptus est. Quinquagesimum iam annum, nec ad concionem, nec ad sacramenta tā multi cofluxisse dicuntur, quam paucis illis diebus: qui quidem numerus à promulgato noui Pontificis Inbilæ sic increbuit, vt ad excipiendas confessio-nes ipsa quoque adhibenda nox eset.

HERBIPOLI adiuncti sunt Ecclesiæ ca-tholicæ hæretici quadraginta . foris amplius octin-genti. nam cum Principis auctoritate nutuq. inspi-cienda eius ditio fuisse, edixissetq. vt qui ad sanita-tem redire nollent, è sua ditione faceſſerent; eò expe-ditior ratio fuit tantæ multitudinis adiungendæ. Duo in' eius obeunda diæcesi ctiamnū de Societate ver-santur : nec dubitamus , quin ad hunc diem eorum vigilijs ac laboribus amplificatus sit numerus. Ac ne ad singulos, qui resipuerunt , hæreticos delaba-mur, hoc vniuersse confirmare possumus, ex ijs mul-tos , qui dederunt manus, aut incredibili pertinacia fuſſe, aut ea auctoritate, vnde magnum animis peri-culum crearetur, si in hæresi permanerent . In his quidam diuinijs affluens, & obſtrutus in hæresi, malens de patria, quam de ſententia decedere; bona omnia fortunasq. diuendit . sed dum aliò eius fami lia migrationem parat, fluuiumq. Hippagoga tranf-mittit, repentino ſclopi ſonitu iumentis exterritis, nauis, qua domesti ci vehebantur , omnium periculo inclinatur: continuo cum liberis vxor excutitur. li-beri fluctibus absorbentur: mater autem tum quidē emersa, triduo tamen post expirauit. quo caſu admo-niti alij , qui fugam ſimilem adorabant , consilium muta-

mutarunt: in ijsq. illius transfugæ parens: vt vterque domesticæ calamitatis superstes sentiret vim præsentem diuini supplicij. Iam de ceterorum curatione vitiorum nihil atinnet dicere: his enim plena sunt omnia, vt otiosis Nostris esse non liceat, si ea conentur excidere. Usus quoque sacramentorū creberrimus fuit. Facit autem pientissimi Præsulis animus, vt optime de toto hoc Francia tractu sperare iam liceat. et quamquam religionis hostes non defuerunt, qui Principem ab institutis conarentur abduce re; numquam tamen de optimâ mente se deiici passus est. Nostrī quasi in eius studij magnitudine partem habeant, apud improbum genus hominum pessime audiunt: atque idcirco eis cum noceri potest, minime parcitur. Horreo, quod habebamus in pagis, incendium incendium est: ovesq. superioribus annis beneficijs ac carminibus fascinatae: quæ cum quotidie interirent, nostrī cera et aqua rite benedictis omnem vim fascini Deo fauente fregerunt. verum in beneficij parte ponimus, quicquid iniuriarum ab aduersarijs accipimus, hoc uno tantum solliciti, quod qui lædere se nos putant, suas ipsi animas grauiter vulnerant: nec locum medicinæ relinquunt, dum quotidie deteriores effecti, nouas sibi plagas imponunt.

SPIRÆ quoque enixe animorum libertas salusq. defenditur. Ab heresi viginti minimum sunt abducti, quorum plerique atates ferme integras in suis tenebris iacuerunt. maior quoque prædasperratur in dies, nam & tractantur crebrius sacrosan-

Et a mysteria, et confitentium rite peccata numerus
est anterior. quod tum maxime declaratum est, cum
Xistus Quintus edidit Iubilæum. quo quidem tempo-
re communicantium ea vis fuit (id quod hæretica
in ciuitate mireris) ut si sepe appareat hæc in æde
nostra celebritas, cogitandum existimat viri prin-
cipes de amplificando laxandoq. templo. pietatem
hominum par benignitas comitatur, nihil ut pene in
æde nostra alicuius pretij sit, quod non hominum li-
beralitas erogarit. Et ut sunt, qui sacram supelle-
ctilem semper augeant, ita non desunt, qui conferant
in domesticam, ut tanto magis ad animarum salutē
nostrorum excitetur & acuatur industria. Sed dum
huic ciuitati Societas profuit, partem aliquam sua-
rum cogitationum in alia quoque oppida deriuauit.
Bada vrbis est una de primarijs, & Marchionis subie-
cta. hic Lutheranā mulierem annum iam quartum
& trigesimum septem dæmones exercebant. eij-
ciendus primo fuit ex anima diabolus, priusquam
eijceretur è corpore. dedit igitur operam pater è no-
stris, ut Lutherum detestata mulier, verum Christi
Vicarium catholicæq. Ecclesiæ caput agnosceret,
in eiusq. potestate esse vellet. quod cum impetrat-
set, tum demum liberare corpus aggreditur. habue-
rat mulier ex eadem Lutheri face ministros auum
& patrem, Badamq. venerat multis cum litteris,
quibus fidem & Saxonicas ciuitates, & lutherani
ministri faciebant, eam mali dæmonis obsidione tene-
ri, frustraque. eius apud se liberationem esse tentatā.
Institutum certamen est publice cum dæmonibus, in
media

media hæretorum turba, qui è vicinis quoque pagis oppidisq. confluxerant. complebatur quotidie templum, omnesq. quorsum res euaderet, expectabant. Pater non suis opibus, sed diuina misericordia fretus alacriter rem vrgebat. fatebantur dæmones, aniculæ cuiusdam execrationibus, sibi esse olim, cū etiam tum mulier esset infantula, in eius corpus adiutum patefactum. vt igitur inde sacris carminibus abigerentur, quò nefarijs execrationibus immigrarant, assidua aliquot dierum opera, & publicis exorcismis, tum precautioni data est: dum ad extremum eximia Dei bonitas filij sui meritis hoc concessit, vt cuius vi nominis tartara contremiscunt, eiusdem nutu ac potestate tetra illa conspiratio dæmonū pelleretur. Confodit tā pulcher euentus hæretorum pectora, qui cum, quò se verterent, non haberent, nimio rubore perfusi, obscurare mendaciorum impudentiarum conati sunt veritatem: sed diuino consilio factū est, vt dum pro concione in Sacerdotem nostrū Lutheranorum signifer debacchatur, negatq. vllū ab eo dæmonem pulsū esse, tum forte adolescentis peregre rediens, temeraria sclopi displosione sit ictus: qui cū moreretur, ignorareturq. virarū esset partiū, Catholicon, an hæretorum, proximas defertur in ædes: ad eumq. Catholicos, Sacerdotē quem dixi nostrū: lutherani vero suum ministrū accersunt: sed hi tanta cū festinatione studioq. vt Catholicos anteuerterint, hortari igitur Minister adolescentē, vt christiane mori velit, sordidoq. è sacco panem suū, quem moribundo obtrudat, expromit. sed longe alia mens erat adolescentis.

adolescenti. significabat se potius veræ Ecclesiæ sacramento velle muniri, & ritu institutoq. Catholico confiteri. furere hic & Stomachari minister, & perfidiam grauiter exprobrans, atrocem minari gehennam: multa etiam de religionis veritate vanitateq. multa de diuini seueritate iudicij, imperite insciteq. differere. quæ omnia adoleſcens hoc uno dicuntur eluſiſſe responſo, Experiētur uterque nostrum priusquam horæ quattuor & viginti præteruolent, utra tandem in religione mori sit tutius. interim Sacerdos noster accedit, & abeunte ministro confessionem migrantis excipit. moritur hic, ut vitam inchoet sempiternam: moritur ille poſtridie, quemadmodum ei prædixerat adoleſcens, ut aeterna morte multetur: cum pridie tamen valens atque integer viſus eſſet. ita ſentit uterque, utra religio ſit verior, & quæ apud inferos mancant haereticis pœnae, & quæ Catholicis apud ſuperos gaudia.

FULDENSE, ET HEILIGENSTA- diense Collegia.

FVLDAE eodem ſtudio hominū commodis ſalutiq. ſeruitur. eſt gymnasii opus egregia Cæſaris, & qui huius vicem gerit, benignitate perfeatum. conſtatq. auditoribus quadringentis, numero non exiguo, ſi quibuscum agatur, animaduertas: nam haereticis ſcatent omnia, ex quibus ipſis, quamquam à nobis in religione diſſentiant, complures tam ſuos ad nos liberos mittunt, quibus una cū doctrina ſalutaris veritas iſtillatur. Datur autem opera

spēra, ut & pueri nonnumquam, & eorum parentes spectaculis capiantur. est enim illis iucundissimum suos videre filios tanta cum laude in oculis luceq. omnium suas tueri ac sustinere partes. Ac magno sane animarum compendio, Societas in hac eru dienda iuuentute versatur non enim infirmis mentibus, quamquā sāpe sit etas infirma, cōmittitur vir tus. & ubi percepta sc̄mel ab eis est veritas, extor queri nullis terroribus potest. Tres fratres nobiles cum se ad Catholicos appulissent, mater hæretica duos iuniores abductos, nam filium natu maximum abducere omnino non potuit, ad hæreticorum scho las in aliud oppidum mittit. illi vero datis ad fratre litteris, significarunt, sibi quidem, ut maternæ cederent iracundiæ, obtemperandum eius imperio fuisse; sed tamen membrorum potius singulorum sectione, totiusq. mutilationem corporis percessuros, quam ut à suscepta religione desciscerent. Alius item è nostris auditoribus adolescens, cum Christianam religionē, hæresi relieta, caste iam coleret, monereturq. ab hæretico fratre, ut ex disciplina nostra, vel ad hæreticam Marburgensem academiam se conferret, vel secum rediret in patriam, minareturq. ni paruis set, sumptus se ei nullos in posterum suppeditaturū; Abeas tu, inquit, licet in patriam frater: nam si vos vestrum sequiti magistrū, fide sic abundatis, ut eam vobis unam existimetis aditum in celum fore, ego de Dei prouidentia dubitare qui possum? aut quid metuam, ne si à vobis deserar, corpus hoc alat? ita relicto fratre Fuldam rediit, ac ne quid sibi cum domesticis

meslicis amplius eſſet, vitam vt inter nos degeret, postulauit: vt cui animi salutem referret acceptam, ei ſe familiæ dederet in perpetuum. Sed quo studio religionis iuuentus hæc flagret, nihil eſt opus hoc exemplis facere longius: tantum gratulandum eſt Deo, ab eoq. petendum, vt, quod iam videtur inſtituiffe, feliciter hanc iuuentutis academiam proue-hat. Dedit enim Summus Pontifex ad Teuthonici Magistrum ordinis, & Abbatem probitate præstan tem, huius Collegij fundatorem per honorificas litteras, quibus non ſine Societatis commendatione pol licebatur, excitatū ſuperiore anno à Gregorio XIII e nobilibus Seminarium, magnæ curæ ſibi fore. Ac præter eos quadraginta nobiles adolescentes, quos ſuis ſumptibus Fulda ſuſtentat, decreuit etiam ſtu-dia pauperum ſexaginta, liberali quotannis iuuare ſubſidio; ne tenuioris fortunæ diſcipuli ad hæretico-rum ſcholas, vbi hæc illis ſubſidia non deſunt, deſtituti configiant: quæ reſ cum magnam in hiſ locis, vbi omnia ferme hæreſis occupauit, admirationem habet, tum amabilem cunctis Pontificem reddit.

Sed vt abeamus à ſcholis, cuſtoditur diligenter & ceterorum ciuium ſalus & paganorum. Fuit in hac ciuitate Sacerdos magni nominis concionator, ad quem tota ferme ciuitas confluēbat: quod et ſpem faceret communionis Dominicæ ſub vtraque ſpecie reſtituenda (eam enim ſub initium Collegij noſtri Juſtulerat is quem dixi fundator) & familiam noſtram inſectaretur: vt tantum non ad hæreſim ver-gere eius & mens & oratio vidcretur. Hic dum de ſacri-

sacrilegis nuptijs magnorum virorum patrocinio ni-
 xus, non minus libere, quā impudenter agit, repēte,
 & quissimo Dei iudicio, mortifero correptus est mor-
 bo. nostri vt suas iniurias benefactis remuneraren-
 tur, ægro corpori animoq. succurrendum putarunt.
 hortantur vt se ipse respiciat, & meditatū facinus
 detestetur: quod ille & fecit, & qui tandem sinceri
 amici numerarētur, agnouit. agenti quoque animā
 præstò fuerunt, funus curarūt, oratione funebri mor-
 tuum, vt solet, ornarunt: vt admirari se vehementer
 diceret lutherani, quod nostri & viuis nossent inimi-
 cis benigne facere, & vita extinctis. Huic postea Sa-
 cerdos suspectus est alius, Collegij Germanici alum-
 nus, qui magna cum magistratum, tum ciuium ap-
 probatione suo muneri præst. Nec minore luide
 alumnus alius disciplinæ nostræ se gerit in Mogunti-
 na diæcesi, cui parochus est præpositus. is cū & hoc
 & superiore anno pro incolumitate frugum supplicia-
 tiones publicas decreuisset, idq. à ciuibus reli-
 gioso institutum susceptumq. esset, derisus à luthera-
 nis & caluinistis est, affectusq. cum suis ciuibus cō-
 tumelia. sed Deus qui rebus non indormit humanis,
 immissa tempestate fruges omnes hæreticorum per-
 didit ac delcuit: cum tamen Catholicorum agros, qui
 aut continent, aut etiam permixti cum eorum pos-
 sessionibus erant, calamitas non attigerit. Huic affi-
 ne est, quod de alio quodā parocho finitimorū pago-
 rū cognitū est. qui cū de sacerdotis nostri cōsilio, quē
 ad confessiones adhibebat, suis persuasisset, vt prius
 quam mane se conferrent ad opus, ad impetrāndam
 celi

cœli serenitatem, frugumq. conseruationem, templū religiose peterēt; subito exorta tempestas, nihil dāni ipsorum fundis ac segetibus intulit, cum tamen ceteris non pepercere.

Non minor HEILIGENSTADII in tractan-
dis hæreticorum ingenij vtilitatis est fructus. re-
sipuerunt vndeциm. & quidem ex ijs, qui ferebant
inter suos primas. Sed quod gratulandum est ma-
gis, ceteri quotidie dimitigantur, vereriq. iam inci-
piunt Romani Pontificis nomen, & Catholicas ceri-
monias, quas hæreticorum deridet impietas. Nec
minimum auctoritatis Catholicis attulit Iubilæi
proximi promulgatio. Promulgatum est autem à no-
stris pro concione: nam quoniam tale aliquid in ciu-
itate nemo vñquam vel viderat, uel meminerat;
Archiepiscopi Vicarius, is qui Moguntini Archi-
præfulis nomine, clero præsidet vniuerso, consentien-
te Canonicorum Collegio, rem totam Societati per-
misit: vt quid illa in suscipiendo colendoq. Iubilæo
præscriberet, id ratum in vulgus esset. Noſtri quo-
splendidius cuncta peragerent, eademq. opera res
Catholica sanciretur, supplicationes triduo dcce-
nunt, instituuntq. ut sanctissimum Christi corpus à
Vicario illo, quem diximus, magnifice circumferre-
tur, pomparamq. ipsam liturgia solemnis exciperet.
Itaque portis urbis occlusis, indictaq. ab operibus
feria tamquam iſtitio quodam, nihil est à Clero ex
his, quæ Societas decreuerat, prætermisſum. Per-
Etis Missarum solemnij cum ad rei nouitatem fre-
quens populus accurrit, habita est à Sacerdote no-
stro

stro de opportunitate Confessionis, quæ Pontificiam
præcurreret Indulgentiam, per utilis concio.. aderat
hæretici multi, qui è uicinis quoq. locis affluxerat,
sed ea modestia ac compositione oris, uix ut eos à
Catholicis internosceres: nec quisquam tam perfidus
est inuentus, qui non proiectus humi, dum sacra
pompa ducebatur, suum in Eucharistia Dominum
adorarit. ca postea cum plurimo tum uirorum tum
feminarum numero cōmunicata est: nihil ut simile
perspexerint oppidani . quin hæretici ipsi religionū
sanctitate capti, confessi sunt, nihil tale apud se repe-
riri, neque quemquam tam barbarum aut immanem
eſſe, quem ritus illi ac ceremoniae non capiant . At-
que utinam plus apud eos momenti diuinus , quam
humanus metus haberet : nā illi melius suis rebus
salutiq. consulerent. nunc autem partim ueriti hære-
ticorum Principum offensionem , quorum imperio
subiecti sunt, partim sermones imperitorum, ne quā
perfidiæ notam subeant , si à suis se segregent ac
disiungant; manent in institutis patrijs, perspicuo cū
periculo sempiternæ mortis . Deus est imploran-
dus, ut qui prauis iam mentibus lucem aliquam
prætulit, uires etiam suggerat uoluntatibus. Sed ut
urbana mittamus, cum pagis etiam nostrorum com-
municata sunt studia.. Lustrata sunt in ijs cœnobia
uirginu·n , earumq. excepta confessio . cumq. ex
his cœnobij aliquæ , dilapsa iam ueteri disciplina,
nihil aliud præter religionis nomen haberent ; nunc
nostrorum restituta laboribus ita se tuentur, ut in
eis aliquod iam pietatis ac solidæ religionis lumen
appa-

appareat. Sed quod in his locis maxime deplorandum est; cum hæresibus permixta sint omnia, duces pastoresq. desiderantur, à quibus eæ feminæ, ad probitatem sua sponte propensæ, dirigantur atque informentur.

E R F V R T V M, quæ urbs est in Thuringia per ampla, sed hæreticis refertissima, cum è Fuldenſi Collegio Sacerdos noster negotiorum cauſa ſe contulisset, principum Catholicorum rogatu, concionem in eius vrbis templo babuit, quod Erfurdiſes hæretici, Cæſaris mandato compulſi, Catholicis reſtituerant. Hic ea fuit patris in dicendo vis, ea populi cōprobatio, ut Moguntini Archiepiscopi Suffraganeus Sacerdotem de nostris aliquem poſtularit. conſeffusq. est illi Sacerdos cum comite fratre: cui facilis aditus in urbem fuit: edixerat enim non ita multo ante Senatus, quamuis ab Ecclesia Catholicæ ſit ſeiunctus, ne quis in Catholicorum templis ſe gerezet insolentius, neue eis moleſtiae aliiquid exhiberet, graui proposita pœna, ſi quis non pareret edicto. nā antea magnas turbas ciebat, eðq. progreſſa erat hæreticorum audacia, ut dum Catholicos agitabant, publicum quoque otium pacemq. turbarent. Itaq. parafacto ab iþis religionis aduersariis in urbem aditu, expeditiſſimus nostris cursus ad res gerendas fuit. Sacerdos in urbana curia, comes in suburbana ac rustica conciones habuerunt, & ex utriſque par quæſtus. deductus autem comes in ludum litterarium, pueros docere cœpit tanta cum gratia, ut admirati confirmauerint lutherani, ſi nostri docere perge-

pergerent, fore ut auditores omnes desertis suis di-
dascalis semidocetis, ad eorum sese institutionem disci-
plinamq. conuerterent. Ac sane res eum exitum ha-
buit adiuuante Deo, ut huc nostri frequentius sibi
existiment excurrēdum, magna Catholicorum cum
utilitate, tum voluptate. qui, si quando contingat, id
quod à Deo vehementer optant, ut Collegium Socie-
tatis aspiciant, sumptus & quicquid ad eam rem ne-
cessarium est, suppeditaturos se esse promittunt. Sed
valde sibi timent hæretici, qui primo nostrorum ad-
uentu rumorem in vulgus sparserant, duo millia Ie-
suitarum propediem affutura. ut autem secundo re-
diisse vident, urbem iam ipsam ab eis occupatam,
planeq. rem omnem proditam conqueruntur,

MOLSHEIMENSE, ET CON- fluentinum Collegium.

MOLSHEIMI quoque negotium nobis
est cum hæreticis. mire autem eos torquet
terum nostrarum felicitas, & longe lateq. vagans
opinio: neque quicquam prætermittunt, quo nobis
vbiq. conflent inuidiam. Nostros tamen nihil à su-
cepta animarum caussa retardat. Lustratur præter
urbem tota vicinitas, nec ullum oppidum aut vi-
cū est, qui quidem ad Argentinensis Episcopi ditio-
nem spectet, ubi partim concionibus, partim cate-
chismo, nostrorum non elaboret industria. Quo
quidem studio magnopere delectatus optimus Præ-
fus, publico diplomate cauit, ne quis tam pīs conati-

T bus

bus officere audeat, quin potius pro virili faueat, liberumq. templorum rsum rbiique relinquat. Valuit plurimum hæc præfulis commendatio apud homines probos, quorum aliqui, quò magis rem Christianæ disciplinæ proucheret, mille amplius catechismi codices & exempla, quæ passim pueris ac multitudini diuiderentur, edenda curarunt. qua explanatio ne Christianæ legis, non intermissis concionum præsidijs, ita Catholicorum roborantur animi, vt non solum nihil in fide laborent, sed etiam hæreticis, qui buscum crebro eis agendum est, acriter strenueq. resistant. rsurpant cum religione diuina mysteria, & suos ad Collegium famulos (sunt enim hæretici) vt Catholicis moribus instituantur, adducunt. quo fit, vt cum plerique pleni hæresibus huc concedant, abeant mox optimi perfecti. Catholici. Iubilæum summa cum ceremonia conuentuq. hominum celebratum est: effecitq. Senatus, vt ne vigiles quidem custodesq. portarum à supplicationibus officijsq. diuinis abessent. itaque ea vis hominum fuit, vt nem o mansisse domi id temporis ruderetur. ducta est supplicationis pompa ad eadem nostram, cum tamen alias ad alia templa procedere supplicantium agmina consueissent: ibiq. res diuina, sacraq. concio toto triduo habita est. Admiratione digna res fuit, hæc ab Alsatiæ populis, quorum animis tantas tenbras hæresum error offundit, his temporibus fieri. Curatum à nostris est, vt fructu ex ea re quā rberimum populus caperet, inculcatumq. omnibus pro concione, & Iubilai quæ vis esset, & promerendi
quæ

qua faciliis ratio. Confitentium magna turba fuit, communicantium vero tanta, ut oppidanorum pene numerum exaequarit. Neque vero huius tantum oppidi finibus Iubilæi sese utilitas tenuit, sed Alsatiam peruagata est fere totam: affueruntq. in pompa Tabernis, ubi Principis Argentinensis est sedes, cum suo præsule quattuor hominum millia. Idemq. à finitimis Argentinae pagis est factum, ingenti cum hæreticorum stomacho ac dolore. qui ne nihil agere ad placandam iram diuini numinis uideretur, publico etiam ipsi studuerunt edicto, ad pænitentiam populum excitare. Tota autem vis pænitentiae in audiendis paulo diligentius ministrorum somnijs posita erat. precationisq. formulam, quam quisque sedulo recitaret, contra Romanum Pontificem Catholicosq. compositam ediderunt. sed cum ea inter ipsos hæreticos minime probaretur, in risum tota res abiit. eiusmodi quippe est omnis hæreticorum religio, atque hoc demum recidunt, quæ in suggestis ac synagogis vomunt. Sed confessionis beneficio non modo animi scelerum vinculis, sed etiam corpora morborum leuantur incommodis. Nobilis Præsul, & Societatis fautor in primis, cum grauiter esset æger, mortemq. in horas singulas expectaret, ubi animum confessione sanauit, sanitatem quoque corporis est adctus. Alius item vir honestus ac clarus, cum assiduas dæmonis pateretur iniurias, petebatur enim crebro lapidibus, nec quies vla domi forisq. dabatur; cum multa ac varia frustra tetaasset, denique leuationem aliæ præter eā, quam ei

Sacerdos noster attulit, non inuenit. monuit pater delendas prius esse maculas peccatorum, si se tranquillum reddere, et à dæmonibus tutum vellet. cum paruissest, & cum reliqua se familia frequenti confessione purgasset, tandem Christo dæmon, & luci tenebrae concesserunt.

CONFVENTIAE in Societatem receptus est unus res autem Collegij Dei benignitate sat feliciter cedunt: quamuis enim domestica interdum necessitas premit, excitat tamen Deus, qui suis opibus præsto sint. Treuirensis Archiepiscopus huius auctoř fundatorq. Collegij, non modo multa ad necessarium vitæ cultum ac paratum perbenigne suggesſit, sed etiam quatuor talerorum millibus, hoc est aureorum tribus millibus & quingentis oppignerata quædam Collegij bona redemit. Idemq. ne uno tantum liberalitatis genere suam in nos benevolentiam declararet, ædem nostram sacris Treuirensium Martyrum cineribus illustravit. octo in eis integra capita à suis auulsa corporibus cerni licet, decora nostri templi, & certissima apud Deum Societatis nostræ subsidia. Non commemorabo tum varietatem, tum pulchritudinem sacræ vestis, non eleganti intexta opere aulæa, nec alia minuta complura, quibus quotidie nostrum auget ornatq. Collegium. maior est etiam beneficus animus, quam ipsa benignitas: testaturq. nisi temporum difficultas aduersaretur, fore ut multo plura suæ apud nos benevolentiae argumenta relinqueret: ut arctiora iam vincula nulla sint, quibus nos sibi obliget ac deuinciat.

Schola-

Scholarum numerum, custode tutoresq. Deo pesti-
lētia nihil imminuit. quamquā enim et de ciuibus, et
de discipulis nonnullos abstulit; nouorum tamen sūc
cessione flos manet: eaq. de caussa spectaculorū non
negliguntur illecebræ. Expressusq. est Patriarcha
Ioseph ea cum spectatorum admiratione ac volupta-
te, vt danda iterum comœdia fuerit. Ut autem ad
sapientię, sic ad pietatis laudē inuentus incenditur.
Præcurrunt, vt solent, ceteris, qui præcipuo in soda-
litys cultu Dei Parentise dedunt. Ex his vnus cum
alia in alios conferret egenos, tota quadragesima
sex auditoribus, quibus angusta res erat, quotidiana
cibaria summisit, id quod statim hebdomadæ ferijs ad
imitandum sumpserunt alijs. His proposita est non
modo suæ, sed alienæ quoque cōseruatio salutis. alios
verbo, alios hortantur exemplo, & quæ Christia-
nus ignorare non debet, ea rudibus tradunt; vitia
corrigunt, & ad sacramenta complures eliciunt: hæ-
reticos anocant à perfidia, & ad hæresim eiurandā
impellunt: ex quibus Sacerdos, annum iam sextum
& vigesimum publicum ministrum egerat. Vir au-
tem primarius, cum ad sanitatem proxime redijisset,
libros suos omni labe respersos, exurendos misit ad
nos: tantumq. abest, vt consiliū parituerit, vt pro Ec-
clesia iā Catholica multa à suis, quorū erat antesi-
gnanus ac signifer, patiatur. In Iubilao capiendo ea-
dem fere atque in alijs, quæ diximus, oppidis, tum
pietas, tum celebritas fuit. per id tēpus Iudæi quat-
tuor nostrorum opera è custodia primum educti, de-
inde etiam ad baptismum instituti, salutari demum

aqua reñati sunt. Nonnulli autem , quos in suis rebus turbidis ingens cœperat desperatio , in spē protinus, ne se ipsi perimerent, restituti . & qui necem animis iam attulerant , partim impure libidinoseq. viuendo , partim tenendis fouendisq. odijs, ad salutem & vitam reuocati.

P A D E B O R N E N S I S R E S I-
dentia.

IN PÄDEBORNENSI sede suscepta procuracye noui gymnasii, augendus quoque nostrorum numerus fuit. Ad rem Catholicam promouendam, diuino consilio comparatum est, ut huius diœcesis administrator ex clarissima Ducum familia (is qui princeps in his locis tuenda fouendæq. heresis erat, ac proinde nostrorum studia Catholicæq. religionis cursum maxime retardabat) præter omnem expectationem miserabilis mortis genere extinctus sit. & quidem id temporis, cum maiore captus amentia de exturbandis Padeborna nostris, deq. opprimendis dissipandisq. auitæ religionis reliquijs, sedulo cogitabat. Que si exsequi per diuturniorem vitam potuisset, sublata spes omnis erat reuocandæ in posterum Catholicæ religionis. Boni etiam, ut Societati publicæ scholæ committerentur (quo uno maxime confidebant) id viuo Princeps impetrare non poterant. deterrebat eius auctoritas, ne ea nostris procuratio à Canonicis tradiceretur,

tur: alebat hæretorum arrogantiā tanti principis patrocinium: obstabat publicus ludimagi-
ster, qui ab eo munere, quod ei in perpetuum suo quisque chirographo canonici cauerant, salua æquitate remoueri non poterat. Itaque scholis ademptis,
nulla spes maior erat tempestinæ frugis. eas igitur Prouincialis pater vrgere, quoniam & cum animarum caufsa coniuncta res erat, & cum diuina laude nostrorum discessum minitari; negare æquum esse, ut ij fruſtra venisse viderentur, si præcipua consulendi animis opportunitate carerent. quo circa canonicos impulit, vt cum ludi moderatore age-
rent de mittendis scholis, cedendoq. Patribus iure suo. sed ille alia omnia sibi in animo esse si-
gnificabat, negabatq. se quicquam de suo iure ces-
surum: nec deerant, qui Iesuitas grauiter accu-
ſarent, quod ex alterius incommodo suum vel-
lent commodum augere. Quam quidem ſuſpicio-
nem vt nostri minuerent, docuerunt quam imme-
mores vtilitatū suarum, bonum reip. ſemper
quærerent, & quam gratuita opera ciuium com-
modis deseruirent. velle autem, vt quod in con-
ditionibus eſſet argenti, id vniuersum gymnasii
rectori numeraretur. quam ille conditionem quam-
uis æquissimam, ægre tandem vt admitteret, eſt indu-
etus. traditæq. ſunt nobis scholæ ingenti bonorum
omnium gratulatione, ſed hæretorum inuidia non
minore. Res per vniuersitatem Vuestphaliæ peruagata eſt
opinione celerius: et quoniā vulnerauit et træſfixit
hæreticos, ſuos illi à gymnaſio liberos remouerunt,

sponsionibus decertantes, vniuersum propediē gymnasium ad exiguum auditorum numerum redditū. Cauturi etiam Senatusconsulto consules dicebantur, ne quem hospitio ciues, qui discendi gratia ad nos adire vellet, exciperent. Sed improbarum cogitationum spem tum felicia disciplinæ nostræ primordia, tum mors Episcopi inopinata sefellit. accesserunt statim auditores centum & quadraginta, quos nostri & instituendi ratione, & dialogorum spectaculis sic oblectant, ut verendum sit potius, ne futuram auditorum multitudinem exedræ vſitatæ non capiant, quam vt de eo, quem dixi, numero dies detrahatur. quid multa? breui ea de nobis apud eos, qui propter morum religionisq. dissimilitudinem acerbo in nos sunt animo, excitata est opinio, vt quamvis nos erroris accusent; tribuant tamen & doctrinæ copiam, & erudiendæ iuuentutis scientiam. quam nos opinionem vt diuinæ gloriæ cauſa tueremur, comediam dedimus aliam perelegantem: discipulorumq. diligentiam frequenti hominum cœtu, cum præmiorum muneribus, tum honore laudationis ornatim. ita eos fere omnes, quos è ludo nostro hæretici parentes abduxerant, à suis ipſi magistris nullo ad nos negotio reduximus; quotidieq. nouos auditores admittimus: vt iam numerus ad trecentos breui perueniat, quem immunitum iri minitabantur aduersarij. Institutæ porro sunt in doméstico sacello Christianæ doctrinæ scholæ, quæ cum ab auditoribus nostris, tum ab alijs non exiguo numero celebrantur; quanta cum eorum vii litate

litate, non facile dixerim. nam cum hoc genus hominum in earum rerum, quæ Christiano nomine continentur, magna ignoratione versetur, sit, ut à sua feritate ad Christianam mansuetudinem ac modestiam, catechismi institutionibus sensim defluat. antea enim prodigijs simile videbatur, si quis vel signum Crucis deducta à capite ad pectus manu describere visus esset, vel caput ipsum ante sanctissimam Eucharistiam religiosa corporis inclinatione nudare. nunc puerilis etas sic imbuitur, ut catholicæ Ecclesiæ ritus & mores exprimat, nihilq. quod ad declarandam profitendamq. religionem pertinet, prætermittat. Quæ cum ciues animaduertunt, nullum faciunt admirandi finem, & longe aliter de Societate sentiunt ac prædicant.



PROVINCIA FRANCIA.



VERVUNT in hac Prouincia du-
ceti amplius ac triginta de nostris.
In Professorum Domo Parisiensi
vnde uiginti. In Collegio Parisiensi
quinque & sexaginta. In Virdunen-
si, si cum Nouitijs Mussipontani
recenseantur (est autem Mussipontanum Collegium
sextum iam mensem pestilentia disiectum ac dissipatum)
quinque & nonaginta. In Bituricensi tres &
viginti. Niuerni sexdecim. Tredecim Augi. Diem
obiere duodecim. Adscripti sunt tres & viginti.

DOMVS PROFESSA PARI- sien sis.

PARISIIS è spiritualibus exercitijs, qui-
bus graues interdum viri informari se ad pie-
tatem voluerunt, eadem, quæ solet utilitas extitit.
Applicuerunt se ad Societatem quinque: & ad Ca-
tholicos quoque non pauci. in his soror & frater
ex

ex nobilissima familia, quorum ad Ecclesiam conversionem ingens Principum, aulæq. lætitia consecuta est. Fecit ea res, ut Pater, qui cum ijs egerat, ad priuatâ prouocatus disputationem, Anglo cū ministro congrederetur. aderant præsentes viri principes, & eorum nobilium parens, qui adhuc in sua cœitate perstabant: cumq. diu multumq. in vtrâque partem agitata veritas esset; tandem egregius minister suæ sectæ non optimus propugnator, omnium iudicio victus exclususq. discessit. Rediit & ad fidem cum uxore & liberis aurifex, cuius cum ætate hæresis consenserat. E catholicis non minus vberes quæstus fiunt. Cernitur in multis eximum studium sacramentorum: repertiq. sunt qui longi itineris molestias, expiandi sui gratia, non subterfugerent. Ab ijs autem qui aliena detinebât, impetratum est, ne residere apud se punctum temporis paterentur & male partum. Sed cum à multis multa, tum à quodam aureorum millia duodeuiginti restituta sunt. Profuit & ijs nostrorum vox, qui capite plebâebantur: eam enim de nostris Iudices opinionem conceperunt, ut quoties se quispiâ desperatae salutis obtulerit, nostros cōtinuo euocet. Erat reo cuidâ inimicitie adeo insitæ, ut citius animam, quam odia sibi pateretur euelli. tentata pax est uehementer, nec prius ceßatum, quam suorum conatus bonitas diuina respexit. posuit reus iram, carnificis inter manus, curatoq. rite animo, & cōdonatis iniurijs, semel emori maluit, quā, nisi cōdonasset, secunda quoque morte multari. Sed ut urbana linquamus, et proferamus

exter-

externa, quæ nec rerum genere sunt inferiora, nec copia; tres in varia loca institutæ sunt profectio[n]es. prima Diepam, altera Issodunum, tertia Sanserrā. Est Sanserra oppidum ab hæreticis cultum, quò post regium de ijs ej[ec]tiendis editum missus pater è nostris, omnes ferme reperit obstinatos. Sanè in Catholicos fuere teterrimi: & in medio oppidi castro plena cauea, plenusq[ue] puteus Catholicorum corporibus visitur, quos pro religione necarunt. ab ijsdemq[ue] sanctorum sunt exusta reliquia, temp[or]a euerfa, religiones violatae, non omnino tamen impune. Nam cum de ej[ec]tiendis, vt dixi, hæreticis rex tulisset editum, oppidumq[ue] obfirmatum in hæresi, obsidione cinxisset, inuenti sunt, qui ultima compulsi fame suos liberos deuorarint. Profecit tamen aliquid nostri Sacerdotis industria: cuius ad conciones tantus è locis quoque finitimis populus concurrebat, vt interdum duodecim hominum millia censa sint. Reconciliauit catholicæ Ecclesiae trecentos, qui omnes scriba testibusq[ue] præsentibus, fidei professionem publice ediderunt. Minister coniunctus erroris, fidem rite professus, panas etiā irrogatas à legibus subiit. Mulier cum in hæresi moreretur, nec filio vellet baptisma conferri, pater de re certior factus, altero approbante parente, puerū baptizauit, eūq[ue] nox mortuum ritu catholicō sepeliendum curauit. Issoduno autem Bituricensium ciuitati, quam labes eadem fœdat, Sacerdos alter suis & concionibus & catechesi non mediocriter profuit, nec exigua[m] ex hæreticis prædam tulit. Diepa Cæsaris castrum hac quoque

que hæresū scabie diutissime laborauit. ca est altera Geneua, & hæreticos alit tantæ obstinationis & pertinacia, vt decem annis ante cū regio obsidetur exercitu, non prius de deditione cogitarint, quā eorum aliqui, annona breui consumpta, famis rabiē equinis humanisq. carnibus, i no etiā corijs ocreisq. sedarint. Huic igitur castro saluti Sacerdos noster fuit. confluebat vnde ad eum audiendum ingens hominum numerus, vt interdum quinque millia conuenisse dicantur. Ad cōciones autem priuatæ adiūgebantur institutiones ac concertationes, vix vt patri vel ad cibum, vel ad explendum suarum precum munus aliquid otij supererisset. Itaque, quod necesse fuit, vigiliarum laboribus copiosa respondit utilitas. nam quamquam ciues initio patrem non magni ducere videbantur, postea tamen, siue Rex vngeret editio, siue intimis admonitionibus Deus, eius opera centum circiter ac uiginti patres familias, et quidem cum suis plerique liberis & coniugibus hæsim eiurarunt. pueros etiam, qui partim ministrorū fuga (plerique enim de regia ditione, quam de sententia decidere maluerunt) partim domesticorum incuria nondum baptisma suscepere, baptizauit.

PARISIENSE COLLEGIVM.

IN Parisiensi Collegio è duobus fratribus è vita profectis, alter singulare suæ patientiæ, incensæq. charitatis in Deum specimen præbuit. quem cum diuturnus & ingens calculus cruciaret, noua etiam

etiam ei tolerantiae seges accessit, carnis acerba setio, ad extrahendum educendumq. reconditum interius calculum : quæ curatio vt erat anceps plenaq. discriminis, ita ei celerem interitū attulit. Sed mors, quæ fuit doloris finis, eadem fuit. & requietis initium ; quò vt properaret, cunctantem suum ipse animum hortabatur, egredi gestiens, & c. custodia dimitti. Nec longo interposito spatio, patri cuidam secundum quietem visus esse dicitur, cui & suam, et alterius cuiusdā patris, qui Burdegalæ per id ferme tempus obierat, felicitatem non obscuris significatiōibus indicauit. cui quidem viso facile fidem ad iungat, qui & mores hominis norit, & quid eius fortitudini ac patientia deberetur, intelligat. Iam quāquam fratrum numerum mors imminuit, auxit tamen tredecim cooptatio tyronū, fructus nostri Gymnasii: ubi non minus religionis cultus, quā doctrinārum studia vigent. Ac præter eos qui ad nos transierunt, alij duodecim ad Carthusianos, alij q. ad alios ordines discesserunt. Est ex his auditoribus sodalitas quædam anno instituta præterito, quæ à B. Hieronymo nomen habet : ubi ad virtutem præclare se iuuentus exercet. Quo autem tempore Christi mors anniuersaria pietate recolitur, sodales longo agmine ad supplicationem nudis pedibus prodierūt: suoq. exemplo, mirum est, quām ceteros ad similem pietatem, vitæq. asperitatem excuant. Ex hæreticis quoque non exigua nata sunt lucra. sexdecim repudiarunt errores, & ad Ecclesiæ se Catholicae nutum auctoritatēmq. fixerunt. In his quidam

quidam cum Sacrosanctæ Eucharistiæ vi diabolum ex humano electum esse corpore perspexisset, illico deserta hæresi, negauit se umquam amplius fidem hæreticis habiturum. Sed nostrorum congressum quam hæretici reformident, cum multorum acta sermonesq; testantur, tum nuper luculentissimo testimonio vetulus ille Beza hæretorum signifer confirmauit. Is, ut cuiusdam Pseudoapostoli filius, qui tum aderat, enarrauit, cum in Gebenensi Academia orationem haberet, gratiasq; ageret Deo, quod sibi suisq. in tatis opinionū tenebris veritas illuxisset; il lud tamen aiebat esse dolendum, quod is propter ipsorum peccata magnum in eorum Ecclesia flagellū Iesuitas permitteret. quare muniendum esse litteris peccatis, & eoru contra captiones, quoniam subtilitate valent, arma sumenda.

BITVRICENSE COLLEGIVM.

E Bituricensi Collegio missus est ad Niuernensem Ducem concionum caufa Sacerdos, eodemq. nomine in Boiorum oppidum, cui Berissonio nomen est. ubi præter quotidiana conciones tradita sunt pueris Christianæ elementa doctrinæ, ingenti commodo rei Catholicæ. nam cum hæresis pestilenta plerique incolæ laboraret, tēpestiuæ ei malo adbita est medicina. Sūmæ iucunditatis spectaculū fuit, teneros videre puerulos obſidētes hæreticorū ministrū, & facillimis quaſtiunculis, quibus ille respōdere nō poterat, insectatæ. Ac si umquam intellectū est, quanti

quanti sit, probe pueros instituere, tum demum est; cum puerorum ḡrex, patriis præceptis imbutus, etdem spiritum, quem hauserat, referebat. Filium mulier hæretica cum peperisset, factus est repente puerū concursus ad fores, ut infantē catholicis traderet baptizandū. accurrerūt rei nouitate obstupefacti catholicī, tantum ardorem in pueris admirati: & partim horum rationibus, partim clamoribus puerorum coacta mater, filium catholicis ad baptismū dedit. eaq. postea non modo facile paſsa est puerum inter catholicos aggregari, sed in eūdem gregem ipsa quoque se contulit. Patrem nostrum quanti facerent vniuersi, declarauit tum eius incommoda valedictio, cum ad eum pharmaca curationesq. perserrent; tum eius postrema digressio, cum abeuntē partim lacrimis, partim pedibus equisq. prosequerentur. Eius fama excitati ciues quidam Monlusciani (oppidi id nomen est) flagitarunt ipsi quoque de Societate concionatorem, quem tamen ad eos per tumultum mitti non licuit. Pacatioribus iam rebus in alias duas depravatas hæresi ciuitates totidem sunt missi de nostris: cum ijsq. communicata potestas ab Archiepiscopo (id quod ipse à Summo Pontifice iam impetraverat) recipiendi reconciliandi qui redire vellent, hæreticos. Itaq. in eo patres illi iam toti sunt, ut ad Ecclesiam redeuntium consilia atque mentem diligenter explorent, doceantq. prout necessitas exigit, catholicam veritatem. cuius munera labor quò grauior ac difficilior est, èo speramus utiliorem: præsertim tantis humanæ infelicitatis tenebris

tenebris . nam de rebus maxime tritis interrogati permulti , aut perridicule sape respōdēt , aut turpiter obmutescunt . Sed quoniam contra hæreses sempiter num est bellum à Societate suscepturn , nouū quod-dam sibi impositum onus , bibliothecas purgandi pri uatas ab hæreticorum voluminum face , non grau te suscepit . qua in re ita desudauit , vt semel atque iterum in area ingens excitatus sit ignis , ubi eare ligionis probra , ac dedecora cremarentur . Gymna-sium porro nostrū auditores frequentāt fere quin-genti , in quibus seu doctrinæ laudem , seu progressio-nem ad virtutem sp̄st̄s , sentias operam omnina non ludi . Ex hoc numero tres in Societatem dedere nomen , plures etiam in alios ordines ac familias . Liberalium vero disciplinarum studia atque ardo-rent tum philosophicæ concertationes , tum parti testantur honores , speciosiq. tituli magistrorum .

N I V E R N I veniunt iam ad nos hæreti-ci multi regio edicto pene compulsi , vt (quo-niam statutum semel est , hæresim potius , quam regnum patriamq. deserere) per pœnitentia sa-sacramentum à peccatis censurisq. soluantur . Ha-bitat est & eorum ratio , qui supremas pœnas legi-bus dabant . Vir nobilis & hæreticus cum ad supplicium raperetur , nec de animi salute magno-pere laboraret , nostrorum cohortatione permo-tus , & diligere neglectum diu animum cœpit . & expiatis confessione peccatis hæresim eiura-uit . Coercebatur carcere mulier tum , cum for-dis vexari visis , nocturnisq. imaginibus cœpta est .

V acci-

accipiebatur nonnumquam adeo misere, ut vitam
videretur amittere. Agit cum muliere Sacerdos è
nostris, absolutamq. rite à peccatis, aqua benedicta
respergit, rosarioq. communīt. ita partim eius
aqua vi, partim B. semper Virginis beneficio assecu-
ta mulier est, ut monstra illa facebant, nec sibi am-
plius negocij quicquam exhibeant. Ad placandum
in publico tumultu cælesti numen, rege in hæreticos
arma ferente, fecerunt nostri (id quod à ciuibus iam
factum erat) ut varia in urbem supplicantū agni-
na conuenirent. res erat nō minus spectatu iucunda,
quam ad permouendos animos opportuna. tunicati
prodibant homines nonnumquam mille ac sexcenti,
quos cibo ac potionē excipiebat Episcopus ac Duci
pxor. In his conuentibus reperti sunt etiam hæreti-
ci, qui quidem interdum ea religione ac ceremonia
non minus, quam Catholici ipsi permouebantur. Ra-
stici paganiq. à multis passibus confluebant, &
vt ad conditam horam adessent, nocturno itineri se-
se dabant. Pueri in eo cogendo agmine explicationē
catechesis, vt à nostris acceperant, recolebant, di-
sputationesq. de Christianæ religionis initijs ac rudi-
mentis habebāt. Postea ab uniuerso supplicantium
agmine pia rite carmina, toto itinere, modulatis nee
intermissis vocibus canebantur. quod quidem tanto
homintum plausu factum est, ut placuerit alijs ciui-
tatibus ad eamdem normam similes quoque pompa
instruere. Curatum est in hac circuitione pagorum,
ut multa tēpla vetustate pene consumpta reficerē-
tur, & quæ vel hæreticorum euertisset improbitas,
vel

vel parochorum sorderent incuria, tum rursus instaurarentur, tum ad nitorem & cultum exornarentur: Nam cum in quibusdam iam labentibus templis, imbribus peruijs iniurijsq. cælestibus divina res fieret, ut ne satis quidem tuto sanctissimum Christi Domini corpus asseruaretur; in alijs autem fæces altæ, & columbarum simus omnia fædarent; non fuit difficile hominibus non omnis humanitatis expertibus persuadere, ut pecunia in communione collata, rationem aliquam temporum ducerent.

VIRDVNENSE, ET CETERA Collegia.

VI RDVN I suum quisque munus tuetur egregie, atque ut domestica quæ eodem sunt loco, mittamus; non exigui de pagis allati sunt fructus. Erat in pago quodam gemina duorum fratrum in paterna domo familia, in eaq. ut solet, mutua ex emulatione discordia, quas quotidiana conuicta & maledicta fouebant. Citabatur identidem diabolus: nec longa interposita mora, serèdæ seditionis artifex interuenit. gessit morem vocantibus cumulate, & familiam alteram magnis cladibus & damnis affecit. nocte una agnos perdidit universos, & mox boves, anseres, gallinasq. mactauit; ouiumq. etiam crura confregit; domiq. miscuit & turbauit omnia, alterumq. e fratribus formidolosis imaginibus terruit. Huc quidam profectus e nostris, cum pro concione multitudinem docuisset, cur Deus.

illa permetteret, et quæ ad ea depellenda riderentur esse præsidia, fecit, ut illius familie domesici, in quos ea erat illapsa pernicies, rite se à sceleribus expiareret: statimq. diaboli debilitata vis est. Nō dissimile est, quod in alia villa dicitur accidisse; in qua cum repentina tæbe magnus armentorum numerus interiret, lateretq. causa tanti interitus, missus eò sacerdos est, qui mororem perturbata afflictæq. familiæ consolando leuaret. sed is pestilentiae originem, suspicatus frequentissimam fuisse in ore omnium appellationem dæmonis, sedulo hortatur primo, vt ab ea consuetudine vsuq. recedant; deinde expiatos pænitentiæ sacramento complures, cereis cælestiis Agni signis formisq. communit. atque ita cladem omnem auertit.

Huic Collegio Novitiorum tecta iunguntur, quos semper nouis tyronibus Deus auget. In his Sacerdos receptus est Anglus, qui Anglicani pedorem carceris, equuleiq. ac reliquorum suppliciorum acerbitates expertus, elapsus ex eorum manibus, nihil habuit antiquius, quam vt ad præteritam tormentorum coronam, lentes quoque, sed diuturnas cœnobij cruces adiungeret. Multa de aliorum virtute admirabili scribi possent, sed dum viuorum pudori consulimus, media incidiamus oportet. Forsitan & horum, & ceterorum meritis dedit Deus, vt à graui periculo & collegiū et ciuitatē eriperet. Nam cū in Gallia, Christianissimo rege, vt dixi, in hæreticos armiferente, pleraque ciuitates ancipiiti consilio aliæ aliquæ spectarent; clandestino quorundam scelere conflati erat,

erat, ut aduocata in hanc urbem haereticorum manus, catholicorum partes opprimerent. cui facinori cum diem Paschatis, atque adeo tempus ipsum concionis, in quod ea suspicio videbatur non posse cedere, designassent; Deus tamen qui præcipua ope suam ruetur Ecclesiam, longe aliter vertit omnia. nam qui religionis hostes clam acciuerant, tum cum confessionalrem putabant, facto in eos impetu ciuium, iij ipsi de ciuitate sunt pulsi. Nostri interim Deo placando dabant operam, & pro communi Ecclesiæ ocio, quadraginta horarum supplicationem non ita multo ante decreuerant: ut mirum videri non debeat, si is à Dœo consecutus est exitus, qui euenit. Adhibuit etiam nostros is, qui nobis est in intimis, Cardinalis Vaudemontanus. de cuius in nos sinceræ benevolentia notis, nec instituti nostri est dicere, nec facultatis. Is igitur ut pastoris officio rite fungatur, nostris in primis vtitur: cumq. hoc anno Tullensem synodum coegisset, eius statuta synodi apud suæ ditionis parochos explicari à nostris voluit, ut quæ admodum ea exequenda sint, intelligerent. res cessit ex sententia, & magno recip. Christianæ commode totumq. triennium per eius diaœsim partim in pafaciendis enucleandisq. Christianæ disciplinae mysterijs, partim in expoliendis erudiendisq. presbyteris consumptum est.

M V S S I P O N T A N I Collegij res in magna hoc anno varietate versatae sunt. nam & florentissimæ auditoribus academiæ pestilentie vis medijs

exorta caloribus dissipauit, & nostros omnes, donec
sticos praeter custodes, in alia loca migrare compul-
lit. Ex his nonnulli cum in vicinis regionibus con-
sedissent, non tamen ab omni munerum administrati-
tione vacarunt: duobus enim locis tantisper instau-
ratæ sunt scholæ, dum incunte Nouembri, conuoca-
tis ferme omnibus in Virdunense Collegium, omniū
ordinum ac disciplinarum studia repetita sunt. Eni-
tuit in eo Collegio eximia nostrorum caritas, dum
non sine suo incommodo nouis fratribus, & sua sede
carentibus, de habitatione libentissime commoda-
runt. Nec vero minor in concionibus Sacerdotum,
quam in prælectionibus magistrorum, industria fuit.
Pater quidam Lotharingiæ Duce rogante, quoddam
profectus in oppidum, cuius pars altera tota consta-
bat hæreticis, sex circiter & viginti familias cum
Catholicorum catu coniunxit. Sacerdotes aliij duo
cum puerorum gregem in pago quodam prope Me-
tas & litteris & Christianis præceptis imbuerent,
adiunxit se ad eos hæretici filius, patre non repugna-
te, quod cum hæreticorum seniores, ut vocitant, re-
sciuisserent, minitati sunt patri, nisi filium à nostra
disciplina ac consuetudine reuocaret, fore ut eum suæ
Cœnæ communione priuarent. quos tamen ille non
modo non audiendos putauit, quod diceret filiu[m] suu[m]
optime à patribus erudiri; sed coemptis mox Metis
ædibus, eò se transtulit, ut ipse quoque Catholicorū
concionibus frequentandis ad saniora consilia redi-
ret. Qui domi manserant, ne eis quidem virtutis fa-
cultas ac materia defuit. cum enim pestilentia suspi-
cione

cione, vel etiā contagione, tanta vīctus inopia plebs
infima laboraret, vt ei non minus à fame, quam à
pestilentia timendum esset; nostri tenuissimi cuiusque
casas obeundo, pane & vino quantum sat esset om-
nibus, subuenerunt. quæ res, mirum dictu, quantum
Societati nostræ & amoris & existimationis tum
apud eos, in quos collata benignitas est, tum apud
eos, quò ipsius beneficentiae fama peruenit, concilia-
rit. Sustulit lues illa de nostris, dum magis proximorū
animis, quam suis ipsi corporibus cauerunt,
omnino decem. sed quod maxime nos solatur in tan-
ta fratrum iactura (si tamen eorum est dicenda iac-
tura, quos iam in cælum sua merita vocauerunt)
suum quisque diem pie dicitur obijisse. In his Sacer-
dos quidam statas ab Ecclesia precationes ad ex-
tremum usque spiritum recitauit. Alius rei dome-
sticae minister cum patesieri iussisset fenestram, et
suspexisset in cælum, suam ipse animam creatori cō-
mendans placidissimo iustorum somno consopitus
est. Interea Mussipontani ciues, dum nos crebris
litteris & nuncijs ad redeundum inuitant, satis &
dolore, quem ex discessu nostro ceperunt, & omni
officij genere, quo nos semper prosecuti sunt, quanti
nos facerent, indicarunt.

AVGENSE COLLEGIVM.

A VGI in Societatē receptus est unus. alius
ab hæresi ad obedientiam traductus Eccle-
siae. Reliqua, quæ vel in vrbe, vel in agro sunt gesta,

cum ijs quæ de ceteris sunt dicta Collegijs ferme
consentient. Illud tamen ad declarandum in agnis
cereis rite consecratis quanta vis insit, accidit admī-
rabile, quod cū in fastigium stramineæ domus ignis
esset iniectus, & longe lateq. vagaretur, iacto re-
pente agno, ingenti ciuium gratulatione restinctus
est. Sed cum de singulis iam Collegijs, ea quæ vide-
bantur, excerpta sint; restat, ut nonnulla, quæ in va-
rijs gesta sunt itineribus, perstringamus.

R H E M I S per quadragesimam concionē Sa-
cerdos habuit, qui dū in tanta rerum perturbatio-
ne, ex Societatis instituto se gerit, utrique parti &
verbo & moribus satisfecit. Alius apud Santonas
in celebri vrbe Barlesio toto anno versatus, eō iam
rem Catholicam & diuinam adduxerat, ut & suum
templum ab hæreticis vendicarit, & in illud homi-
nes fere trecentos è catholicis neophitisq. coege-
rit. verum in bellico illo tumultu abire coactus, nō
prius inde discessit, quā & verberibus est acceptus,
& in ultimū discrimē caput obtulit. Tertius in eius
dem Metropolitana regionis vrbe, atque in æde ma-
xima menses aliquot concionatus, ut non mediocri-
ter hæreticos fregit, quibus omnia redundant; ita nō
parum in religione catholicos confirmauit. Destina-
tus & Diepam Normaniæ vrbeam Sacerdos est,
quæ vt est una omnium munitissima, & mari con-
tinens Anglicano, totis hisce viginti annis innume-
rables pene hæreticos aluit, tanta insolentia, ut non
modo catholicorum conuictū societatemq. non tu-
lerint, sed diu etiā regiæ auctoritati nominiq. resti-
terint

terint. horū autem post ipsius rēgis edictū magna
vis migravit in Angliam, insignis pertinaciæ atque
dementiæ: qui patriæ cōmodis carere malint, quam
cum animi salute in Ecclesiæ potestatē venire. Cū
igitur concionator huc nōster is, qui in ea aliquot
annis ante conciones habuerat, peruenisset; ita in suo
munere se tractauit, ut ciuium animos facile cepe-
rit, & ab impura secta complures abduxerit. Qui
quidem nō obscure fatebantur, quam præclare secū
ageretur, quos Deūs conuocasset ad luce: negabātq.
se vel impunitate proposita commissuros, ut perti-
naciā in tanto animorum discrimine tuerentur.
nec tam sibi ip̄si qui manserant, gaudebant, quā eō-
rum vicem, qui solum verterant, querebantur. futu-
rum enim fuisse, ut si ad patris mansissent aduentū,
ij quoque multum de sua feritate atque obstinatione
remitterent. Profuit illis mirifice patris frugalitas
ac continentia, quod cum in ipsis erudiendis recon-
ciliandisq. tot vigilias laboresq. susciperet; nihil ta-
men ex ijs, quæ loco muneric deferebantur, admitte-
ret. Erant & adiumento res à Deo mirabiliter effe-
ctæ, qui cum res exigit, imbecillitatē humanae mē-
tis miraculorum adminiculis adiuuat. Mulier recēs
catholica, cum vicinam feminam morbo periculosissi-
mo laborantem animaduerteret, suasit ei, quam-
uis ea quoque de secta eſset, ut ad sui curationem
qua& benedictæ cyathum perpotaret. qua illa po-
tione corporis salutem adepta, dedit operam pater,
ut salutem quoque animi hæresi abiicienda conse-
queretur.

P R O V I N C I A
A Q V I T A N I A .



AL VIT hoc anno de nostris Aquitanis Prouincia centum ac septendecim. Tolosæ undequinquaginta. Unde quadraginta uero Burdegalæ. Decem Mauriaci. Undeuiginti Ruthene. Abierunt è vita nouem. Ad Societatem tredecim accesserunt.

T O L O S A N V M , R U T H E N E N S E ,
& Mauriacense.

TOLOSÆ nostri pro consuetudine institutoq. suo in animis recuperandis euigilant. Sexdecim per eos Deus, hæresis errore discusso, ad Catholicam vocavit Ecclesiam. ac ne latius ea se contagio diffundat, multa quotidie hæreticorum volumina comburuntur. Scholæ auditoribus augentur, quibus non minori curæ pietas ac religio, quam litterarum studia sunt. adiunctiq. sunt Societati quatuor, ne qui ad alios ordines discesserunt, enumemus. Habitæ sunt conciones in duobus oppidis celeberrimis magno animorum comprehendio. Et ut cetera taceantur, penetrabat viri feminæq. promiscue in mit-

mulierum cœnobia, nulla pudoris aut religionis ratione ducta: quod cum multorum malorum seminarii esset, nostrorum opera effectum est, ut contra hominum licentiam sacra illæ Deo mulieres, arctioribus claustris continerentur. Cum autem ad sananda vitia tota eius concionandi ratio dirigeretur, & grauibus aliquando verbis fœnorum damnaretur iniquitas, exiit in conuentu publicus fœnerator, qui subito dolore incensus, ex inquis anteactæ vitæ fœnerationibus, iurisurandi religione se obstrinxit, fore, ut in posterum fœnerationibus abstineret, & peccatum suum nouæ vitæ laude corrigeret. Erat etiam in eo oppido, quadragesimæ tempore, magna mensarum impunitas ac licentia. carnes enim vorabantur & ona, nullo dierum discrimine, nulla religione ieunij. nunc concionum beneficio, patria consuetudine reuocata, ieunij legi complures obtemperant. cautumq. à consulibus est, ne non modo carnes, sed ne butyrum quidem publice vendi liceat. Alio in oppido cum vix quatuor essent familiae, quæ non mutua inter se flagrarent inuidia (totum enim opidum, summo omniū periculo, in tres erat diuisum distractumq. partes) Deo bene ihuante, facta est compositione. reuocatæq. ad concordiam familiæ quinque, & irarum extenuata principia, dum ad extremum omnis illa dissensionis flamma compressa est.

RVT H E N E ad Societatem adscripti sunt duo. ad Catholicos quattuor. Recens autem semper est nostrorum ad labores alacritas, neque comittut, ut operam suam vel ciues ulli, vel pagani desideret.

Ani-

*Animarum autem siti, ardua suscipiuntur itinera;
ingenti cum utilitate: iacent enim animi tum in
edicis tum curationibus destituti. qui denique ubi in
nostrorum manus venerint, confessionis medicinæ
sanantur. In montibus editissimis, cum niue obsita
essent omnia, vir quidam occurrit obuius, ut à pec-
catis absoluueretur. gerendusq. mos ei fuit vel in ipso
cursu, ardentissime postulant; qui dum labes animi
confessione perpurgat, non sentit gelida se niue per-
fundit. sed caritatis ardor peruaserat animum, que
ubi temporem dispulit peccatorum, externum quo-
que contemnit algorem. nudum caput nix operue-
rat, index intimæ pœnitentiae, ut cineris vetus illa
conspersio. pater quoque cum pœnitente niuibus
redundabat, ut à viatoribus agnosciri vix posset.
quo in itinere cum eos nox oppressisset, & niuum
pene obrueret altitudo, medio in itinere nixi cum
religione genibus, ad Deum oculos precesq. conuer-
tunt. haud surdo Deo fusa precatio. statim eis rusti-
corum domus ostenditur, quò se ex algore tenebrisq.
reciperent: ibi. noctem illam ab iniurijs tuti cœle-
stibus quieuerunt.*

*M A V R I A C I suas quisque partes cum lau-
de sustinet. Multi partim industria colloquijsq. no-
strorum, partim sacramentorum usu, qui paulo iam
maior extitit, ad bonam frugem euadunt. sed admir-
abiles animorum commutationes, ne quem per im-
prudentiam prodamus, cogimur præterire. Nec
tamen licuit, in hos ciues perpetuas huius anni cu-
ras laboresq. conferre: cum enim hostilis hæretico-
rum*

rum grassaretur impietas, & iam ciuitatis faucibus immineret, duobus tantum in Collegio relictis, discedendum reliquis fuit in proximos pagos: ubi tamen nobiles viri duo duodecim dierum spatio nos perhumaniter exceperunt. quo tempore ne de animis benemerendi consuetudo intermitteretur, data est opera serendis diuini verbi seminibus, quae suis temporibus fruges ferant. Iam è Gymnasio quantum commodi ad animos deriuetur, dies ipsa declarat. Bellico autem, quem significaui, tumultu, cum visum esset nostris paulisper abesse, auditores nostri longo interuallo & quidem non sine lacrimis prosequuti sunt abeuntes. Eorum nonnulli in patriam redire coacti, numquam induci ab hereticis potuerunt, ut iejuniorum religionem, quae ab Ecclesia Catholica statim temporibus imperantur, vetitis epulis violarent. cumq. ex his unus imprudens & carnibus pingue iusculum hausisset, ubi de ceteris quid sumpsisset, agnouit, totum diem assidue collacrimans sine cibo traheret. Sed apud ipsos quoque hereticos praesertim in oppido Calviniana peste facta non nihil in rem animarum actum est. ualde eos Deus nostrorum concionibus excitauit: sed ne multi perspectae ueritati dent manus, impediuntur metus suorum. Vicini heretici cædibus omnia terrent; & quos ad Ecclesiam transire compererint, eos comprehensos sine cunctatione trucidant. Nimirum supplicandum est diuinæ clementiæ, ut timida pectora mentesq. corroboret, aut eo timore imbuat, qui exigit & extrudit humanum.

BVRDEGALENSE COLLEGIVM.

BVRDEGAŁAE graſata eſt non ſine acer-
bis funeribus pestilentia. Oſto de noſtris ab-
ſumpſit, ſed ex reliquis viginti millia. Fuit hæc con-
tagio tum noſtris charitatis occaſio, tum ciuibus ſo-
cietatis ſtudia perſpiciendi, qui quidem à ſuis ipſi pa-
ſtoribus derelicti, numquam tamen à Societate de-
ſerti ſunt. Testatur ipſa Burdegala, ſe tam oppor-
tuum in tanto animorum diſcrimine auxilium num-
quam expertam eſſe. Atque ut amantiffimas popu-
li ſalutationes in publicis vijs, maroremq. qui no-
ſtrorum consecutus eſt obitum, pretermittam; incre-
dibilem non modo ijs, qui in nos optime animati
erant, ſed inimicis etiam admirationem, noſtrorum
ſtudia obſequiaq. pepererunt. Quin hærcitici ipſi,
qui in omni prope ſermone nobis obloquii conſue-
uerant, noſtroram poſtea in ægrotos charitatem ad-
mirati, commendare ac vereri quos dderant, incoepe-
runt. traductiq. ſunt per eam occaſionem ad veri-
tatem nonnulli: tanti eſt apud ipſos quoque hostes
vis charitatis. Prodigij ſimile exiſtimatum eſt, e no-
ſtris quemquam pestilentie vim effugere potuiffe:
inuaserat enim, ut diximus, noſtrum numerum, de-
leratq. nonnullos: & qui extra Collegium ſuā ægris
operam impendebant, ijs ex eſculentis poculentisq.
ministrabatur non ſemel in die; ut niſi noſtrorum
vitas protegeret Deus, cōgressus ipſe creare pericu-
lum poſſet, & acceptam in alios tranſferre perni-
ciem.

eiem. Nam de eorum salute quid dicā, qui dum aduentantis morbi pericula loci mutatione declinant, huc illucq. diffugere sunt coacti? quocūque enim tereres, in medianam flammatum veniendum erat, aut in ea loca, quae ut essent vacua et libera pestilentia, ab hæreticorū certe rabie incursuq. non erant. Princípio ægre admodum nostri secunda noctis hora, clā, & oclisis publicis portis ad Prioratum B. Macharrij, duce atque auctore gemino magistratu, deducti sunt. quō cum sensim pestilens morbus irrepereret, in alias continuo sedes immigrarunt: seruatiq. saepē diuinitus, tandem honorifice perparuo in oppido, ubi Abbatia quædam est, recipiuntur. hic omnium voluntates & studia sibi conciliāt, & cœnobitas quoſdam à multis superstitionibus liberant. Quo loco cū alia multa diuinam in eos benevolentiam ac prouidentiam testata sunt, tum quod in hæreticorum manus potestatemq. non venerint, et si id illi ipsius Dei cauſa vehementer optabant, nec ædium ruina, quæ in oppidulo illo conduxerant, oppressi sint. nam se biduo ante illinc exiſſent, dandum erat hæreticis iugulum: si biduo post, intcreundum ea, quam dixi, ruina. redditum Burdegalam est ineunte ferme Nōvembre: sed quoniam ne tum quidem satis tutus redditus videbatur: nondum enim pestilentia vires suas plane remiserat; delitescendum mensēs aliquot fuit intra septa Collegij. Iam vero tantam fratrum iacturam caput dominus conuocandis nouis fratribus compensare: sed loci ac rei familiaris angustia fecit, ut Societatem quinque dumtaxat inirent. nec h̄ quidem

quidem sine suorum dæmonisq. uictoria. Erat in his Burdegalensis Senatoris filius, cuius mater omnem mouit lapidem, ut eum de sententia depelleret. adhibuit propinquos & amicos, interposuit auctoritatē magistratum & senatorum, minas adiunxit, terruit uerberibus; nec tamen labefactare constantiam filij aut cōmouere materna uis potuit. Annus prope abierat in his pugnis, cum profecta rus matre, quattuor ille remigibus cōparatis, qui strenue aduerso flumine remigarent, fugae se dedit. sed quoniam leuiore ē pugna uictor exceſſerat, quō palma esset il lustrior, alia grauior est subsecuta pulsare adolescentis animum sathan cœpit, et patriæ desiderio sollicitare. renouare memoriam domesticæ uoluptatis, & cum sensu quodam pietatis materni paterniq. complexus. nihil erat negotiū puerum imbecillum à potentissimo hoste superari, nisi Deus qui imbecillis et sibi ipsis relictis dextram porrigit, manus iam dantem mirabiliter confirmasset. nam dū redditum cogitat, & nauigium eius rei cauſa ſolicite querit, offert ſe illico ſenex non procul Tolosa, ex eoq. quid quereret ſciscitatus, cū respondiſſet adolescentis, nauem ſe querere, ut Burdegalam reuertatur; ſenex, ne pedē referret hortatus, Prosequere, inquit, iſtitutum iter ò fili: & ſecundum hæc monita nusquam amplius apparuit: ut facile intelligeret adolescentis, quis tandem ille eſſet & unde missus, qui tā ſalutaria ſibi monita attulifſet. Domestici fuga filij animaduera, exſaturandi odij cauſa, quod in nos conceperant, uiris nobilibus dant negociū, ut procuratorem

nostrum, sic ubi offenderint, interficiant. Nec paucas conuenerat inter matronas & quidem nobiles, ut eum certo in loco correptum male mulcentarent. cuius sceleris princeps ne abiret impune (quamquam coniuratione detecta nihil est actum) aequissimo Dei iudicio, lapsa per gradus interiit. Non minoris constantiae specimen quindecim natus annos praesertim tulit adolescens: nam prater alias communis hostis insidias, quocum toto anno pugnandum fuit, tentata est etiam eius pudicitia a petulanti puellarum lascivia. mulieres domesticæ duæ, secretum eius ingressæ musæum, lapsò iam die, ausæ sunt castissimum adolescentem ad libidinem prouocare. ac profecto comptæ formæ, orationis blanditiæ, oscularum gestorumq. lasciuia, nocte præsertim & solitudine cohorte tante, nullo negocio expugnare tenerum animum potuissent, si imparatum a præsidij cælestibus deprehendissent. repulsa sunt impudentissimæ feminae, aut potius is, qui eas submiserat, dæmon: qui quidem ne semel a puero vinceretur, alijs eum telis oppugnans, eadem semper ignominia ac dedecore fusus est. Adolescens duodecimum agens annum, prima Societatis fama commotus ei se sine cunctatione dicauit. huic dormienti vox ad aures accidisse dicitur, moriturum esse breui: experretusq. cum timore, in preces flexisse genua: affuisseq. repente eximia pulchritudine mulier amita candido, quæ huiuscemodi eum uerbis affata est; Ades animo fili & omitte timorem, non dum moriere, prius voti compos efficieris. quod


visum cum die insequenti in missæ sacro recurredet, pene à sensibus aberrasse: cumq. socij, vt in sella paulisper requiesceret, hortarentur, numquam de genu surgere, quo semel incubuerat, voluisse. Eidē de more precanti et tractāti animo Christi vulnera, Christus quoque dicitur uisus, verberibus laniatus, eaq. specie adolescentem primo territum, mirifice recreasse. Voluit & suis visis dæmon, ne quis hu in simodi visis se pulchrum ac beatum putet, illudere mulierum levitati. Occupabatur mulier in pago quodam linteis vestibus eluendis, cum dæmon feminam paulisper indutus, grauiter eam verbis, quod in eo versaretur opere, castigauit, minitatus fore, vt pœnarum loco, aquæ vrnā, quam hauserat, postridie cōmutatam in sanguinem reperiret. mulier summo mane ad vrnā aduolat, rem ita comperit, vt prædicterat dæmon, & tremebunda venit ad templum. posculat à parocho, qui templo præterat, vt in honorem Dei Matris eo die sacrificetur. mos mulieri geritur, & inter sacrificium iterum sese mulieri dæmon ostendit, eadem quæ se pridie declarauerat forma. mulier ignara fraudis, rata eam esse Dei Parentem, MARIAM exclamat. mirari ceteri, qui nihil cernerent, & vt agrestes minimeq. mali, prodigium aliquod suspicari. dæmon chartas duas cruore respersas, plenas characteribus feminæ porrigit, & nescio quid magnitudine nucis, cuius interior pars colorem atrum; aureum externa referret. hunc ille panem suum benedictum aiebat esse, iubebatq. viritim diuidi, qui præsentes aderant. ita callidus hostis omnium animos

animos superstitione referserat, ut tamquam sacras reliquias eius panis particulas, si modo panis erat, religiose multi conditas asseruarent. eos vero quos diximus characteres mandarat pietate Dei Matris cernicibus alligari, alia simul addita charta, quam qui oscularetur, eius beneficio peccatorum veniam consequeretur. Ergo tota ad eum pagum vicinitas, ut à suis quisque peccatis absoluueretur à muliere, concurrebat. nec de re villa crebrior erat inter homines sermo, nec quicquam magis celebre, quam Dei Matris praesentia atque prodigia. Sed, quod indignissimum erat, iusserat se diabolus & à muliere, & ab alijs rusticis adorari. quod quidem ab hominibus simplicibus & imperitis est factum. quo disseminato dispersoq. sermone, Archiepiscopus, id quod erat, magnopere reformidans, ne qua idololatria sese populus inquinaret, Vicarium suum eo mittit cum Rectore nostri Collegij, ut rem omnem diligenter inquirant. qui multis ac perspicuis argumentis satanæ fraude comperta, qui in animarum perniciem ea omnia callide confinxisset, aduocata concione rector, & monis artes detegit, & chartas illas de Deipara collo suspensas, ereptas abiicit. mulierē vero eosq. qui in fraudem inducti erant, ab errore deducit, & ne in posterum ijs visis fidem adiungat, etiā atque etiam monet. quod perinquo ferēs animo diabolus, dat sese iterum in conspectum mulieri in æde sacra, & se Iesum esse graniter quæstus, vehementer obiurgat, publicasq. pœnas tunzione pectoris exigit. quo inieicto terrore mulier imperata facit, arreptoq.

lapide multis inspectantibus pectus tundit, tanta vi
atque immanitate, ut carbonum instar caro nigresce
ret. ac nisi reuocata esset, se ipsa vtiique confecisset.
Sed deducetur iterum de errore, & de dæmonis ar-
tibus certior fiet, ne in easdem plagas rursus inci-
dat. Excusum est in alia quoque oppida cum salute
multorum, præsertim vbi nulla erat ferme religio,
& omnia vitijs atque erroribus redundabant. Qui-
bus locis partim liberandis prauis mentibus
ab errore, partim retinendis in veritate
catholicis, reuocandisq. in viam sa-
lutis errantibus, eadem,
qua ceteris sedulitate
seruitum est.



PROVINCIA LVGDVNENSIS.



 VENT de nostris in Lugdunensi Prouincia centū & octoginta tres. Lugduni quattuor & viginti. Sex & triginta Turnoni. Auenione quattuor & quadraginta. Cambrii duodeuiginti. In Billomeni Collegio vnde quadraginta. In Dolano duo & viginti. Mortui sunt septem. Vnus & triginta recepti.

LUGDVNENSE, ET TVRNO- nense Collegia.

QUAM QVAM hic annus Lugduno prestilens fuit, tamen praeclara Dei Opt. Max. in suis custodiendis famulis prouidentia, cū per totam serperet vicinitatem pestilentiae contagio, ad nostras ædes numquam pertinuit. Mißæ sunt tantisper schole, dum ea vel remitteret vel abiret; eaq. prima fere hyeme studijs acrioribus repetitæ. Ex hereticis, nostrorum suasu hortatuq. non pauci Ecclesiae iam præceptis obtemperant. quamquam edicto regio pene compulsi ad id animum complures inducunt. sed Archiepiscopi iussu ad

Ecclesiam, nisi lente probati non admittuntur. In lustrandis ceteris oppidis data est item opera euelli dis haeresibus; & in quibusdam tantum concionum studio laboreq. perfectum, ut plurimi de sua secta dubitare iam cœperint: sed lucem plerique fugiunt, & eos qui ad lucem vocant: nec ullum tempus omittunt, quo vel ceteris Catholicis vel nostris incommoden. In huius Collegij Prioratu, Sacerdos & nostris dum ipsius Collegij res agit, proximumq. eius rei caussa in oppidum diuertisset, noctu capitur oppidum, incolæq. ab haereticis vniuersi, & hic ipse Sacerdos: qui veluti mancipium, haeticorum deducens in urbem, multa ab ijs tulisset indigna, nisi euadendi viam Dominus ostendisset. custodij enim in somnum lapsis, de fenestra sese demisit, postridieq. in id oppidum, quod nefarij homines occupauerant, us statumq. recliquerant, redijt. ibi precipua Prioratus documenta, de quibus magis, quam de suis vinculis laborabat, intacta reperit: atque inde quam primum domum cum domestica præda reuertit.

Illud etiam Lugduni in Ecclesiæ rem gestum est. Est amplissimæ Paræciæ templum, ubi conciones saepe habentur a nostris, centū fere ab hinc annis extitum, sed propter vastitatem ac magnitudinem nondum usquequaque perfectum. pars enim desideratur anterior, quam cum ciues tamquam ex symbolis perficiendam curarent, strenueq. rem urgerent, quibusdam offensionibus interpositis destiterunt. Nostris igitur quicquid erat controuersiæ compone-re aggressi, cum res multo sudore pacassent, fecerunt deni-

denique, ut opus illud longo interuallo intermissum repeteretur. Et quod magis ciuium studia incenderet, pecuniam illam, quam concessionatoribus offerri mos est, cum eam ipsi concessionis nomine accipere per Societatis instituta non possent; ad aedis ornatū instru. Etūq. rei ciendam putarunt, non minore hominum commendatione, quam sacrorum opportunitate. Sed referunt nobis gratiam ciues optimi, quorum tam multa extant suæ benignitatis in nos argumenta, ut si quis ea colligat r̄niuersa, satis habeat negotij. Quid hic commemorem sacram pretiosissimā munieribus supellecīlem? longa esset oratio de elegantibus varioq. instructis opere candelabris, de calicibus, de lancibus, de magnificis lychnis auro argentoq. celatis, de reliqua denique ciuium liberalitate, qua non modo sacrum, sed etiam domesticum instrumentum locupletarunt. tantum dico, ciuitatem multis egregijsq. benignitatis inditijs sepissime declarasse, quo apud se loco numeroq. Societas sit: ex quo fit, ut quantum ea propensa videatur in nos, tantum nos spei fiduciaeq. concipiamus, non frustra apud eam vigilias nostras laboresq. consumptū iri.

Tulit & TVRNONENSIS ager satis r̄beres fruges. sexdecim ad Societatem animum adiecerūt, optimae omnes expectationis, & uno excepto, qui ad res domesticas destinatur, litteris satis instructi. Ex his quidam cum ad diuinias noces obsurdesceret, in morbum incidens, sensit suæ pertinacia pœnas diuinitus sumi, statuitq. quod Deus duceret, eà sequi, nec ita multo post relevatus est morbo. sed beneficij

immemor ac propositi, cum in patriam refugisset,
exagitari iterum cæptus est morbo, dum ad extremum
in animum induxit, illustriores diuinæ voluntatis significationes non expectare: relictaq. patria
ad Societatem sine cunctatione se contulit. Ne
alius quidem silendus est adolescens, quem inge-
nium nobilitasq. commendat; qui dum se ad studia
legum à parentibus ablegandum animo prospicit,
importunitate precum aditū Societatis extorquet.
custodiebat adolescentis vitam domesticus pædago-
gus, quem vt abiens falleret, hominem adornat &
instruit, qui tantisper pædagogum ipsum dum præpa-
rata cymba Turnone solueret, remoretur. verum
cum mox eum magister requireret, et quò pergeret,
accepisset; diurna nocturnaq. nauigatione profugum
anteuertit, & militari comparata manu cōsequitur
fugientem, Turnonemq. reducit. ibi numquam à suo
latere adolescentem abesse patitur; sed ille fugæ sem-
per intentus, in musæolum familiaris condiscipuli
sese abdit. interim magistratus iussu conquiritur,
non apud nos modo, sed in alijs quoque ædibus, vt
suspicio aliqua resideret. propositaq. pæna edicitur,
vt conscij adolescentem prodant: & ne quæ posset
euadere, disponuntur vbiique custodiæ. verum illc
constantí animo vestem mutat, & vñitoris indu-
tus ornatu è ciuitatis oculis se subducit. interim ci-
tatis ad nos gressibus properantem aliis rursus à
pædagogo missus insequitur, cui didascalus fidissimo
velut amico, querendi insequendiq. discipuli, & ad
suos denique reducēdi negotium dcderat. sed is, que
fuit

fuit diuina prouidentia, consecutus adolescentem,
 Auenionem ad tyrocinium vsque deduxit. atque
 hic demum deuictis nouo prælio domeſticis, latus
 agit, nobiliores per traſtans animo pugnas atque vi-
 glorias, quam quæ vel cum domesticis ineuntur, vel
 ex patrio maternoq. sanguine reportantur. Non mi-
 nor latitię seges hæreticorum ad Ecclesiam reditus,
 quam Catholicorum ad Societatem accessio fuit. vna
 habita concio septem conuertit hæreticos, eodemq.
 præſidio alijs oppidis valde consultum. Sed unum,
 quæ Heluetiorum ciuitas est, Valesiæq. metropolis,
 Sacerdos missus, virum primarium hæreticum alio-
 qui doctum, cuius studium erat nobilissimo cuique
 ciui hæresim instillare, imbecillasq. mentes ad omnē
 pertinaciam instruere, sic immutauit; vt & sacro-
 sancto Missæ sacrificio & concionibus semper adsit,
 maximamq. vim populi secum trahat. Diuertit etiā
 in itinere ad Abbatem Societatis amantissimum,
 qui patris hilaratus aduentu, iudicem quemdam hæ-
 reticum vocauit ad cænam; quem suo congressu pa-
 ter, si fieri posset, ad meliora conuerteret. Res ceci-
 dit vt optabat, hominemq. pater ad meliorem men-
 tem incredibili ipsius Abbatis voluptate traduxit.
 Demū reuocatus Archiepiscopi Ebredunensis ro-
 gatu, & Camberij dies aliquot remoratus, Ebredun-
 num cum fratre contendit. sed simul ac in agrum
 Ebredunensem vestigium posuit, tristes nuntij de oc-
 cupata ab hæreticis vrbe perforuntur: vt referre pe-
 dem inuitissimus sit coactus.

AVENIONENSE, ET RELIQUA
Collegia.

AVENIONENSE Collegium in summa bellorum trepidatione, prodigionum metu, rerumq. necessariarum penuria, incolumē diuinā benignitas conseruauit, & quidem Gymnasio refertissimo quam cum maxime. Probationis vero domus huic adiuncta Collegio suis quoque tironibus argetur. ac præter eos, qui Billomum missi sunt, dum expeditum ac liberum Auenionem ab hæreticis iter pateat, sexdecim ex vniuersa Provincia cooptati sunt.

Ad aquas Sextias, Cabilionem & Grimanū non obscura Nostri & charitatis, & industriae vestigia reliquerunt. Ex hæresim face sexdecim, & in his duos de principibus ad amicitiam Catholicī nominis adiunxerunt. Sacerdotes porro cœnobitæ duo ex nobilissimis uterque familijs, cum ad hæreticos trāsfugissent, & Gebennā aliasq. hæreticorum provincias multos annos incoluissent, tandem nostrorū opera in nauem Petri reuersi, post eiuratam solemnī ritu hæresim, ad suum uterque cœnobiu, peccatorum dolore commoti se retulerunt. Hæretico vero alijs, vna Dei bonitas, nulla nostra opera, vt veritatē comprehendenderet, persuasit. Is susceptus & educatus in hæresi, cum ē nostris nullum vidisset vñquam, statuit apud animum suum, patria vanitate contempta, et Catholicorū partes sequi, et quod est admirabilius

bilius, effici Iesuita. iniecit hanc illi mentem Deus, tum cum ad bellum cōtra Catholicos est profectus. quare inscijs omnibus, ipse diues, & in ciuili iure versatus (posuit enim in eius cognitione fere quinquennium) pedibus ad nos venit: ubi dum ad Societatem sit quotidie paratior, familiariter nobiscum agit magna eorum admiratione, qui eius in Christiana pietate gradus & quasi processus agnoscunt. Excessit è viuis Auenione frater quidam rei domesticæ & minister, cuius virtus minime dubium est, quin ei facilem in cælum aditum patefecerit. Duos & viginti annos in Societate consumpsit, ea probitate ac sanctimonia, ut prope miraculo ceteris esset. ac ne ceteras laudes colligam, documentum pietatis fuit, & obedientiae singularis. qui cū appropinquante morte rite maculas eluisset, pœna, quam Sacerdos irrogauerat, persoluta, Me beatum, inquit, si nunc in cælum raperer: statimq. quod orauerat, exorauit: uotum enim subsecuta mors est, & quidem id mortis genus, quam quatridui acres tormentum cruciatus intulerant: ut vitam laudabiliter actā nouæ patientiae gloria terminaret.

BILLOMI scholas nostras frequentant discipuli fere quingenti, quos non minor virtutis, quam litterarum amor accedit. Multi ad eanobiū disciplinam sua sponte propendent, præsertim ad nostram, quod tamen nemo nisi probatus admittitur. Dum Auenionem interclusum est iter, retinentur in hoc Collegio Nouitiū. quamquam autem Collegium ipsum eo in oppido collocatum est, quod neque natura, neque

neque arte munitum, hostium direptionibus facile patet; tamen diuina benignitate, ac pijs suorum, ut interpretamur, officijs, ab omni hostili impetu tumultum & incolume conseruatur.

CAMBERIENSE, ET DIVIONENSE Collegia.

CAMBERII in tuendis colendisq. animis plurimum opera studijq. consumitur: sed huius anni res gestæ, præsertim quæ intiores nostræq. sunt, nihil ferme habent, quod litterarum commendationem desideret. Gymnasium duabus classibus auctum est. & ad coemendas rei litterariae causa proximas quasdam ædes, quod satis erat argenti ciuium benignitas detulit: ut iam de ipsius amplificatione Gymnasi magnopere cogitetur. Vigent studia sacramentorum cum in omni hominum conditione, tū in nobilibus ac primarijs. Dataq. est opera, ut sanctissimum Eucharistiæ sacramentum adorandum in singulis urbis templis proponeretur: decretaq. diebus dominicis supplicationes, quibus una cū nobilitate Maurianensis Episcopus & senatus inter fucrunt: idq. non Camberij modo, sed etiam in vniuersa Sabaudia. Venit in Ecclesiæ potestatem Gebennensis hæreticus, & scelam publice detestatus, ritus iam Catholicos colit. Sed cum pro opibus ciuitati consultum sit, seu lenicndis odijs, seu insanis hominum cupiditatibus restinguendis, non tamen

pago-

pagorum externiq. agri vtilitates omisſae sunt. Nan
 tuanum in oppidum Sacerdos missus Cardinalis
 Montis regalis rogatu, semestri spacio strenue pro
 animis laborauit. Ad quotidianas fere conciones
 catechismum adiunxit, quem apud multitudinem
 bis inter hebdomadam explanabat. Ac videtur eò
 pater sane diuinitus destinatus: nam non ita multo
 ante Claudius quidam cœnobij religionisq. desertor,
 & Gebennensis minister, quò magis ex insidijs sim
 pliciū animos falleret, ornatu sui ordinis repetito,
 partim prauis serendis dogmatibus, partim pessimo
 ritæ exemplo, totam fere Nantuanam Ecclesiam
 Gebenna finitimam corruperat ac fœdarat. sed assi
 dua Sacerdotis nostri opera, adiuuāte Deo, ex depra
 uatis iam mentibus hæresum venena discussit. Ex
 trema autem quadragesima Gebennensis agri femi
 nae, vbi castæ religioni nihil est loci, cognito nostri
 concionatoris aduentu propinquum in oppidum, eò
 statim confessionis causa conuolarunt, susceptisq.
 confessionis communionisq. mysterijs, incredibili gau
 dio vnde abierant, redierunt. Matrona nobilis no
 eturnis perturbata terroribus (apparebat enim cœ
 cæ in tenebris vmbrae fœdaq. monstra, quæ vel de
 die quoque mulierē affabantur) vt ea à se in perpe
 tum abigeret, consilium cœpit purgandi rite animi
 apud nostros. quod cum fecisset, & cœlesti se pabu
 lo confirmasset, vacauit aliquamdiu ijs molestijs,
 quibus antea carere non poterat. atque vbi ad ea
 dem postea arma configit, tutam in hanc usque diū
 liberamq. se reddidit.

In Collegio DIVIONE NSI pestilentiae
interuentu litterarum remisit ardor. transfusimus
scholas in pagum quemdam, media situm Burgun-
dia, Dūcum olim sedem ac domicilium. Sed cum plu-
rimos popularis quedam pestilensq. tertiana parum
perspecta medicis occuparet, intermissum est tanti-
per docendi munus, dum illa recederet: idq. men-
se Nouembri Divioni repeti captum est. Duo ex hoc
Gymnasio decursis philosophiae spatijs, reliquam
ætatem sibi degendam in Societate putauerunt: ni-
mirum ut totidem fratrum, qui cum philosophia vi-
tae curriculum confecerunt, damnata sarcirent. Insti-
tuta est autem Divioni sodalitas, cui dederunt nomi-
na, rhetores philosophiq. circiter sexaginta: ubi dū
more suo ad pietatem sese exercent cultumq. Dei-
paræ, placuit totius Burgundia Proregi, Mayenæo
Duci, eorum exercitationes cohonestare, & vespri-
tinis aliquando precibus, quas solēni cantu pera-
gerent, interesse. quem ex euntē plurimi lectiq. ado-
scentes vario carminis genere Hebraice, Græce, La-
tine, Galliceq. consalutarunt. Is postea quo tempo-
re bellicis distinebatur occupationibus, voluit à filio
suo in ædificationem noui Collegij primum lapidem
rite iaci: ut in eo Collegio & litterarum & virtu-
tis sibi extrueret ædificium, cui ex ædificando pri-
mum aliquando lapidem & fundamenta iecisset:
Summa ceremonia æta res est: nec hominum admi-
ratione minore, qui tam turbulento tempore, eius
substructionis fodi cernerent fundamenta, que ne
pacatis quidem tranquillisq. rebus sine multorum
annorum

annorum impensis ad fastigium uidebatur posse perduci. Et vero, ut postea cælestis se prouidentia parfecit, intelligimus nequaquam è re nostrra futurum fuisse; si ea opportunitas laberetur è manibus, quæ nisi multis annis post, ut ex rebus præsentibus coniici licuit, reditura non videbatur. Nunc vero præter omnium expectationem adiectis piorum liberalitate subsidijs, rem fabricæ eò usque perduximus, ut nisi nascentibus morbis ac pestilentia, quæ nostros afflixerant, cedendum esset, amplissimas iam habituri classes, & luculenta cubicula videremur.

Reddidit & suos fructus D O L A N V S ager, ubi & in Societatem recepti sunt duo, & ab heresi auersi nonnulli, plurimiq. à vitijs & contentionsibus auocati. Quod ad rem sacramentorum attinet, pascuntur cælesti pane cælerioribus anni diebus fere quingenti. atque ut frequentiæ hominum consulatur, amplissimo quodam regia munere maiestatis, ex quo quattuor francorum millium, id est, aureoru mille summa redacta est, sacellum per amplum exstructum est. quod aliorum quotidie dilatat & locupletat humanitas. Gymnasium nouis theologiae & philosophiae scholis amplificatum est, constatq. auditoribus octingentis è varia multipliciæ natione. Probatur autem disciplinæ ratio mirifice: actumq. in Burgundiæ comitijs est, ut in comitatu omni Burgundiæ eamdem docendi rationem easdemq. leges Gymnasioru moderatores teneant: nec alios suis discipulis auctores, nisi qui à nostris Doctoribus explanantur, explanent: ut deinde adolescentes, qui ad nostras

noſtras migraturi ſunt ſcholas, noſtriſ iam legibus
aſſueti, iñſtitutoq. docendi, facilius quæ ſunt maiora
capeſſant. Ac præter hoc de Societate noſtra iu-
diciū, eorumdem comitiorum beneficio, no-
biſ eſt tum quaṛuṇda m preſtum aediuſ,
quas ante comparauimus, per ſolu-
tum, tum reliquum aſ alie-
num quo premeba-
mūr: ut ad fran-
cos mille
ſexcentos muneris ſumma
per tingat.



PROVINCIA BELGICA.



P

M PLECTITVR Belgium & Collegia septem, domum Probationis unam, fratres ducentos ac duodeno-naginta. Louanij quinque & uiginti. Duaci minimum triginta. Audomari tres circiter & triginta. Antuerpiæ minimum uiginti. Traiecti quindecim. Leodij triginta. Brugis decem. Ibris octo. His accedunt, qui in uarijs sedibus commorantur. Sex Valencenisi. Gandui totidem. Cortraci quinque. Aucta est hæc Provincie fratribus duodequinquaginta. Tribus autem, qui ad Deum abierunt, imminuta.

LOVANIENSE, ET ALIA quædam Collegia.

LO V A N I I licet prædonum rabies externos & peregrinos ab urbe uel excluderet, uel difficulter admitteret; numquam tamen Societati, quæ diuina clementia fuit, aliquid accidit detrimenti. Omnes eius curæ labores cogitationesq. totos octo annos in opia quidem

T non

non parua, sed tamen fructuosa ad ciuium & ad praesidiariorum tuendos animos laborarunt. Ut autem militum onere liberari ciuitas cœpta est, & concurrere studiorum caussa varijs ex locis adolescentium copia; publica ciuitatis gratulatione aperte sunt scholæ. Pater autem Visitator, ne quam rei bene gerende occasionem prætermitteret, coemptis hortis adibusq. vicinis, quarum pretium ipsamē vrbis valetas imminuerat, Collegij spatia dilatauit, & quodammodo inclusit in insulam; ne pacatioribus rebus ex ædificando templo locus aliquando deesset. Deinde Seminarium theologorum, ut proximis lituris indicatum est, vnde & Societati, & patriæ opportuna præsidia gignerentur, instituit. Datum est ei rei initium in eunte Nouembre, conuocatiq. de Societate duodecim, qui duobus theologiae doctoribus operam darent: quamquam postea ubi nostra Academia fama percrebuit, è varijs Provincie locis crevit numerus ad triginta. admissi sunt in Societatem duo

TORNACI autem ubi instituitur & eruditur nouissimus quisque ad disciplinam Societatis, totidem sunt admissi. quò etiam quinque & triginta aliunde venerunt. Tradueretq. sunt in hoc oppido ad Catholicorum partes nonnulli, nec paucorum partim labentium, partim ruentium est sustentata religio. ad retinendos autem in fide populos, munitur tutissima catechismo via non in urbe modo, sed etiam in pagis. Habuit enim & suas Tornacensis domus excursiones in proximum agrum, frugiferas omnes; sed non eiusmodi, que longam desiderent orationem.

DVACI quoque Societas ad animorum libertatem vel constituendam, vel recuperandam cōtinenter incubit. Capit è Gymnasio, quam sperabat, vtilitatem: nec parua est veritatis illecebra, instituendae iuuentutis ratio. Adolescens inter hæreticos educatus, cum eo consilio huc missus eset, vt ab Aegyptijs (sic enim nos appellant) linguarum cognitionem acciperet, quam ad sacrarum litterarum intelligentiam, puriorisq. theologiae necessariam esse dicebant, retinuerintq. ne se philosophiae aut alijs, vt loquebantur, litteris inquinaret; is diu multumq. simulando dissimulandoq. ad extremum se ipse respexit, & suorum imperio contempto vna cum cælesti sapientia philosophiae studia coniunxit. Alius à nobis libris parentibus hæreticisq. submissus, ut nostrorū moribus pertentatis, quicquid in ipsis deprehenderet, obseruaret, ad eosq. prescriberet, mira industria in nostrorum se familiaritatem insinuauit. sed dum verba & gestus & singulas actiones diligenter explorat, diuino consilio capit, qui, ut caperet, satagebat: Catholicosq. sequi maluit, quam manere cum suis. & vix lucem veritatis aspexit, cum ciliaciorum asperitate corpus, Christiana humilitate animum domare cœpit. Alij duo cum alter hæresi, alter prauis moribus inquiratus, disciplinae caussa, Duacum accessissent, breui in alteros mutati viros, inuitis parentibus & amicis, hic ad Societatem, ille ad Catholicos se adiunxit. Sed ad declarandam nostrorum auditorum probitatem, illud quoque non leue est argumentum. Vetus est ex his vni in hæreti-

ca ciuitate suscepto, nō in quiete modo, sed in vigilia quoque et ipsa luce diei, spiritus quidam, non ex illis improbis & qui hominibus gaudent illudere, sed ex his commodis, & qui ex humanis egressi corporibus prius igne purgantur, quam ut in beatorum numerum cooptentur. hic igitur sese obiecit adolescenti cōmonens, ut pro ijs, qui salutari apud inferos igne lustrantur, sacrificandum curaret; suosq. vel Catholicos, vel hæreticos, cum ad retinendam constantissime fidem, tum ad curandam hæresim hortaretur; obiretq. suo nomine peregrinationem quamdam, quod facilior sibi cursus in cælum foret. Quæ hic eò diligenter curauit, quod sibi exploratius catholica religione iam erat, locum esse quemdam & regionem apud inferos, ubi piorum mentes suis solutæ corporibus, nec dum plane perfectæ ac perpolitæ, priusquam aduocentur in cælum, flamarum ignibus expiantur. Non minor è templo profecta utilitas est. Erepti sunt à demonis potestate nō pauci, quos ipse in fraudem atque in errorem induxerat. qui ut solet semper infirmiorem sexū ac naturam petere, nonū iam annum varijs artibus ac fallacijs feminam luserat. docuerat pœnis debilitare corpus, & eas suscipere religiones, quæ plus pompa atque ostentationis, quam utilitatis & salutis habent. cubabat humi dure per noctem, apprimebat nudis membris cilicinas vesteres, & diu se loris acriterq. cædebat. cerebram sibi ipsa imperabat in eiam: castimoniam & humilitatem in primis virtutibus commendabat, quibus Deum diebat plurimum delectari. qua in sententia ita

ita confirmabatur, ut viro matrimonij debitum pernegaret. precationi autem eo vsq. dedita erat, ut compositis in similitudinem crucis membris, mente raperetur ad horas: tandemq. suauitate mentis ebria & sua conditionis oblita, in eum locum venerat impulsore diabolo, ut, quod Christo haberetur in pœna similior, de traiiciendis ferro latere, pedibus ac manibus cogitaret. idq. haud dubie tentasset, si totos quindecim dies, quibus hæc meditabatur, opportunitatem temporis naſta esset. sed non est passus Deus, labentem atque inclinatam animam funditus ruere. odoratus nosler, id quod erat, Sacerdos, malum latens aperuit, & errantem feminā de errore deduxit. In iuuandis autem nostrorum contibus Deus, ut animorum sic corporum saluti non defuit. Attulerat Roma Collegij Rector ex eo liquore, qui ex Andreæ Apostoli sacris ossibus paulo ante manabat, quem præsentem morbis medicinam solitum esse, ex plurimis iam euentis, omnipotens terrarum orbem fama peruerserat. hic igitur cum fiducia duobus ægris animam iam agentibus & plane desperatis adhibitus, vitam mirabiliter reddidit. fratri vero nostro pestifero vlcere laboranti certam atque incorruptam integritatem attulit: ut iam si quis famæ minorem habere fidem velit, tam præsenti confirmatus euentu, nihil sit, quod in posterum dubitet.

AUDOMARI non exigua cū laude suis quisque & Societate muncribus distinetur. Colet cum litteris pietas. Instituta est domestica schola ex ijs, qui ad

eloquentiam informantur, quod magistrorum seminarium quodammodo sit futurum. frequentant Gymnasium lecta iuuentus, auditores omnino quadrin-
genti & quinquaginta: ex quibus præter eos, quæ
vitam nostram adamanit, decem religionis causa se
se varijs ordinibus aggregarunt. reliquis vero Societatis
nostræ præsidij ingens Deo animorum vis re-
stituitur; partim tollendis de ciuitate vijs, partim
tradendis officij iustitiæq. præceptis.

ANTVERPIENSE, ET RELIQVA Collegia.

REDIIT octauum post annum Societas An-
tuerpiam, unde hæreticorum exulabat im-
probitate. nec prius recepta ac renocata in urbem
est, quam seditioni ciues bello et inedia fracti, ad ex-
tremum Catholicos regi dederunt. Sed quoniam ca-
de refusus in extrema Prouincia dicendum est; hic
pauca quedam, quæ dumtaxat in rem animorum ge-
sta sunt, Societate iam reddita, perstringemus. Fa-
ctum est initium docendi Septembri mense, tribus in
scholis: primisq. mensibus adiuncti sunt tres. Ac ne
vel Catholicis, vel deceptæ vacillantiq. plebi no-
strorū studia operaq. deessent, Principis Parmensis
mutu auctoritateq. institutæ sunt cōciones vberifru-
ctu. increbrescit enim in dies vis pœnitentiū, quoti-
dieq. abiiciuntur hæreses, & nutantes animi robora-
tur: ut iam Christo diabolus, & diuinō numini im-
purus spiritus cedat id quod Dei cōsilio ac voluntate,
non mente tantum, sed etiam ipsis oculis cerni le-
cuit.

quit. *V*isus est enim frequenter cuiusdam per officiam tonsoris à Catholica religione sciunktii, cursare pannosus quidam & septuagenario maior senex, qui procacibus impurisq. verbis multorum se insidere menti gloriose iactaret. *i*s postea tetro cum odore vanescens, se quis esset, & vnde existeret, indicauit. Non erit ab re eiusdem generis aliud commemo-
rare, quod ante recuperatam Antuerpiam, & ad con-
firmandam Catholicam veritatem, & ad reuincent-
dos hæreticos accidit. Adolescentula Susanna nomi-
ne, annos nata septemdecim, forma tantum, non reli-
gione probabilis (erat enim hæretica) cum ab insa-
no amatore instigaretur ad facinus, nec tamen ad
obsequium precibus ullis promissisq. descenderet;
oblato sibi ab amatore poculo veneficijs carmini-
busq. confecto, dæmonem ehibit. parentes in rel-
gionis sententia nihil puella seniores, miserando fi-
liae casu permoti, curationis causa ministros adhi-
bent. sed cum dæmon dæmonem non pellat, neque
ab eis opis aliquid ferri posset; pastorem quem-
dam animarum virum optimum, qui Antuerpiæ
forte considerat, deprecantur, ut filia laboranti suc-
currat. non abnuit incorrupta fide ac vita Sacer-
dos, exorcismisq. per paucis virginem ipsam dæmo-
ne simul atque perfidia parentes vero cum alijs tre-
centis etiam hæresi liberavit. Initio autem, ingressa
ad virginem Sacerdote, & suis Eucharistiam vesti-
bus obtegente, contemplari virgo intentis oculis pe-
ctus hominis, quasi ciuis, quod latebat abditum, non
ignara. ex qua cum quid aspicret, Sacerdos quare-

ret, Kestem, inquit, contemplor istam tot distinctam contextamq. nodis adiuranti ut veritatem pandaret, Respicio, inquit, ceream imaginem tuo de culta suspensam. tum Sacerdos. Postpositis, inquit, his ambagibus, impero tibi omnipotentis Dei nomine, veritatem ne celes: Capite lues, inquit illa, si rem detexero: hostiam sacram deseris, quam clandestino sacrificio in eius ciuis (ciuem autem nominabat) edibus consecrasti. seuere enim tum hæretici cauerant, ne quis etiam occulte sacrificaret. quæ cum Caluinistæ, qui præsentes aderant, audissent, alijs vehementer hærere, alijs pie colere latens numer, quidam obnixi animis in sua prauitate perstare. Multa autem declamantis in modum diabolo gannienti, Quin adis, Sacerdos inquit, ad B. Georgij, ut è sug- gesto tuos discipulos doceas? (occupabat enim eadem illam tum minister hæreticus) cui dæmon, Ego ve- ro, inquit, quotidie illic ad meos verba facio: Quærenti cur suos diceret; An non, inquit, iure meos ap- pellem, quos eadem tecum gehenna manet. hoc uno meliores, quod ipsi etiamnum integrum est pænitere erroremq. depellere: nobis autem perti- nacibus & veritas sordet & pænitentia. His in hæ- reticos testibus, quoniam aures veritatis præco- nibus claudunt, Deus vtitur: quos vtinam vel hac amentia & cæcitate liberet, ne funditus ipsi ruant; vel in perpetuum comprimat, ne in eandem per- niciem ceteros secum trahant. Præter conciones, quibus consulitur vniuersis, plebs quoquo in- sima catochesim, & imbecilla puerorum etatula perdo-

perdo centur. Fuit olim optimis ciuitatis moribus institutū, vt pueri puellæq. egentes ac derelicti separatas in aedes, ubi sub præfektis artes aliquas modosq. vita condiscerent, cogerentur, dum aetate robustiores, vel adscripti cœnobij, vel in matrimonium collocati, se suamq. vitam tueri possent. His quadrumviri præsunt grauissimus in ciuitate magistratus, qui coactis vndique nummis, quicquid ad vsus vita requiritur, studiose curat. In has familias, præfectorum malitia, cum hæresis irrep̄sisset, contendit à Societate Senatus, qui Catholicorum prudentiūq. lectione longe iam alius est, vt sancre doctrina familiis illas imbueret, quod accurate Societas facit; eorumq. perpurgat animos, qui hæresim labem non tam suo, quam alieno vitio suscepereant.

TRAJECTI P. Visitatoris aduentū magna commutatio morū consecuta est. est enim eo auctore varijs locis catholica veritas explicata. Carcer, valedicinaria officij gratia frequenter obita, & deliniti multorū animi charitatis obsequijs. sunt autē & ad emendandos prauos mores auxilio magistratus ipsi, quorum nutu multa sanantur in ciuibus. Inquisitum in eos est, qui Quadragesimæ ieunia, escarū licentia violabant. restitutus suis Eucharistiæ honos in templis publicisq. vijs, dum defertur ad ægros. mulieres quæ pudorē suū in vulgus, quæstus caussa nudinabātur, à dedecore reuocatæ. ab hæresi expiati nōnulli, et nutr̄tes animi sustentati. milites ad officiū vocati, & ad pietatem eruditivi: vt, qui nihil nisi ferrū & bella tractabant, spectaculo iam sint ceteris, nono

Studio Religionis. Cernas qui stationes & vigilias agunt, saepius suo globulis decurso Rosario, horas metiri nocturnas, & cum ciuibus pietate certare: abstinerere se periurijs ac maledictis, obseruare animarum pastores ac Sacerdotes, diuinum verbum sicut etibus & auribus & animis audire. Pœnitentium numerus annos omnes præteritos superauit. Institutaq. est adnitente Provinciali patre ex adolescentium flore sodalitas, quorum ea sunt studia, ut quamplurimos ad sacramenta & exēplo & oratione pelliciant, temere iurantes beneuola admonitione castigant, pauperes hospitio, cibo, ac potionе reficiant, & alia multa cum pietate gerant. Quibus officijs cum bonoru omnium, tum senatus gratia colligitur, qui quo animo in nos sit, nec unius nec leuibus significationibus declarauit. Is ad aduentum patris Provincialis nostros omnes nostris in ædibus liberali coniuicio exceptit, ædificia pluribus locis restituit: Et ex senatoribus unus, præter bibliothecam, annuam nobis pecuniam in morte legauit. Quibus Deus, quoniam largissimus in bonos est, cumulatiore mensura, quæ lari sunt, reddat.

B.R.V.G.A.S ea spe Collegium, qua proximis litteris demonstrauimus, restitutum; instructumq. annuis cuiusdam Abbatiae prouetibus in perpetuum; communis patriæ calamitas vicinusq. hostis non mediocriter retardauit. Perseueratum tamen est difficillimo etiam tempore, nec Societati quicquā, per euntibus fame compluribus, diuina clementia ac beneficio defuit. Itaque nostri tam à Deo liberaliter suble-

sublenati, ne ipsi quidem animorum saluti defuerint. edotti sunt tam inquilini, quam peregrini pauperes Catechismum. crepti ex heresum tenebris vnde uiginti: & quorum fides aliqua lababat ex parte, ad constantiam reuocati. coercitæ mulieres virilesq. libidines. feminæ Deo quoddam dicatae, abductæq. à sacrilegis amatoribus, claustris redditæ. honestarū pudicitia ab hominū libidine conseruata. es denique multiplex unde exierat, restitutum.

LEODII & pietate & litteris discipulorum coluntur ingenia: Ventitant fere quingenti: & ex his quindecim se Deo varijs in disciplinis, tres in nostra posthabita libertatis dulcedine, manciparunt. Edidit hos fructus sodalitas Dei Matris, & uberior res pollicetur in posterum, tanta nimirum presidente ac patrona. Accedit gratia Apostolici Nuntij, cui vel hoc nomine plurimum Societas debet, quod id centem religionem erigit, & studia nostra principibus viris magistratibusq. commendat. Quod ad aedē spectat, vix duodecim Sacerdotes è nostris populi pietati concurrentis ad sacramenta sunt satis. Metuebatur ne Flandrorum recessu, qui declinanda seditionis causa, tuendæq. Catholicæ religionis Leodium magno numero commigrarant, conuentus ipsi decesserent: sed tamen eò usque creuerunt, ut omnino nostra laxanda sit aedes. Hunc ardorem cum doctæ ac salutares conciones, tuum Catechismus per frequens excitauit. is celeberrimus in parœcijs incredibili concursu plebis exponitur. ita fit ut sensim suis religioni decor redeat. quod quia ciues obseruant

uant, non possunt non reveri nostros, & amore complecti. Duo remisso hæresi nuntio, in Catholicam fidem iurarunt. Alius autem atheus, igni adiudicatus, cum de pertinacia nihil remitteret, nec quicquam nostrorum proficeret oratione, exhibitis Dco precibus fractus est tandem; & facti pœnitens, non modo aequo, sed etiam libenti & gaudenti animo suppli-
cium tulit.

I P R A S erecto Collegio, missisq. eò de Societate nonnullis, nihil habuit prius Senatus, quam vt nobis ædes honestissimas compararet, & exhausto pene diuturna obsidione, belli impensis ærario, tamdiu certas pecunias addiceret, donec restitutis cœnobiorum quorumdam agris, quos Collegio Pontifex Maximus assignarat, præsenti nostrorum necessitatì prospectum esset. Nec vero suis partibus Vicarius defuit, qui vicinas ædes scholis peropportunas adiecit: quibus & tertia quædam accesserunt ædes, cu-
misdam liberalitate Abbatis, Societatis amicissimi. Quo ciuium studio Visitator pater permotus, ad insituendam primis litteris iuuentutē, aucto nostro-
rū numero, scholas duas aperuit, quibus postea amicorum postulationibus, Humanitatis etiam classis accessit. Obeuntur & reliqua, vt Societas consue-
tudo fert, munera. Hæresim eiurauere nonnulli, &
Societati primo Collegij ortu adiunctus est unus.

VALENCENIS auxilio exemploq. nostrorū,
pietas item vrbi & auita religio reuocatur. labora-
tum est concionibus vehementer, vt cōfessiones vix
annua minimum perterentur in menstruas. & hic
quoque

quodque ex hominum pectoribus hæresum pulsa caligo: cumq. ad tuendam religionis caussam omni ope industriaq. contenditur, tum potissimum Catechismo, quò ne senatores quidem grauesq. viros pudet accedere. renouata est & foris inter paganos crebritas confessionis: acciditq. vt cum de ea frequentanda disputaretur à nostris, eo usque permota sit multitudo, vt à concione septemdecim & peccata confiterentur, obstupescere rei nouitate pastore; et Christi corpore pascerentur.

Restat GANDAVENSIS et CORTRACEN-SIS sedes, ubi eodē animis studio spes salutis ostēditur. Ganduum urbs est totius Flandriæ amplitudine facile princeps, plurimis cœnobij olim nobilis, nunc hæresum vitio ipsis tantum spectanda vestigijs. cuius ciuitatis calamitate P. Visitator, & spem messis uberioris addactus, aliquot è nostro numero concessit amicis. qui missionis nomine essent ciuibus adiumento, vel restituendis Ecclesia, vel in sententia confirmādis. nec hominē spes fefellit: nobiles enim iā viri duo, feminæq. tres Caluino relicto, sese ad Ecclesiam Romanæ fidē applicuerūt. Reliquis autē vijjs sua quoque adhibita tēperatio est: inductaq. eins rei caussa crebrioris pœnitentiæ consuetudo, cuius maiores quotidie utilitates fructusq. præcerpimus.

CORTRACI Societati aggregati sunt tres: præcipuoq. studio Catholicæ ueritatis mysteria rudibus patefacta, proposita à senatu pœna, si qui uel ad catechismū nō sese cōferat, uel catholicæ ueritatis ignorantis deprehēdantur. Miraculo ciuitas est, quæ cū theatri, scānis, mimisq. tota Flandria est et infanis,

nunc

ⁿunc electa stultitia ac vanitate, ita addicta est virtuti, Christianæq. pietati, ut plerique sibi ita persuadent, ex tam felicibus initijs, erecto brevi Collegio, simillimos consequenturos euentus. Atque haec de singulis huius Prouinciae sedibus ac Collegijs: nunc de Castrensi Missione per pauca.

MISSIO CASTREN SIS Belgica.

MISSI sunt in castra, aliquot ab hinc annis, cum Philippus Rex aduersus eas Prouincias, quæ suo ab imperio & Catholica religione desinuerant, bellum tulit; eo ipso petente, de Societate duo, sacerdos cum fratre laico; qui dum res bellica gereretur, in animos militum excubarent. Enituit in ea re patris studium, & per id tempus fere semper in Alexandri Parmensis Principis aliorumq. Principum tentorijs diuinam rem fecit. Castra socius obibat, & militari nola ad sacrificium milites conuocabat. Habebatur statim temporibus concio, ad aulicos quidem festis dominicisq. diebus: ad milites vero profestis. Quoties autem in hostium stationem parabatur irruptio, ad confitenda peccata, sumendamq. sacram Eucharistiam tanta vis militum cogebatur, ut non semel pater cum pluribus nobilibus de laborum assiduitate nihil remitteret; ipsa virgiliarum insolentia, ad ipsa tormenta bellica in somnum lapsus, ne horribili quidem eorum strepitu extaretur. Sed in castris hac erat Patris agendi ratio:

Confe-

Conferebat se semper ad eam murorum partem,
quam noster adoriebatur exercitus, ut militaribus
confessionibus loco à telis hostilibus quam tutissi-
mo daret aures. socius interim, ne quis diem sine sa-
cramentis obiret, qui saucij pugna excederent, ob-
seruabat, ut vel prehensa manu, ad patrem, si sequi
possent, adduceret; vel si non possent, sublatos de-
ferret in humerum. Multi ab impuris libidinibus,
multi etiam à maledicendi execrandi consuetudi-
ne (qui morbus inter milites late patet) reuocati
sunt. Nonnulli qui à Christi militia ad castrorum di-
sciplinam abiectis suæ religionis insignibus, contem-
ptisq. quibus initiati erant, ordinibus, fæde descine-
rant, suum detestati facinus, Deum sibi reconcilia-
runt: tantumq. æris subsidijq. curatum ijs est, ut ad
ea cœnobia, vnde diffugerant, cōmodus pateret re-
ditus. Arcibus aliquibus expugnatis, antiquissima
cura erat, sanctorum cineres ac reliquias, si quæ ab
hoste reperiebantur intactæ, ab iniurijs & rapina
defendere; virginum vero corpora à militum libidi-
ne prohibere. Atque in curandis animis, corporum
quoque commodis salutiq. seruitum est: si quid enim
nostris è quotidiana mensa supererat, quod quidem
supererat fere semper (bis enim in die ex Parmensis
aula satis large cibaria præbebātur) id nostri in ege-
nos milites, qui ad præsentem pastum mendicitatis
suæ totis castris stipem rogabāt, distribuebant. & col-
lectis precario nummis inter hebbomadam, panem
& obsonia parabant ad eorum egestates explendas.
itaturpis aleæ consuetudinem minuebant, dum in-
cibum

cibum milites cogebant impendere, quod utrumque exponebatur in aleam. Quidam etiam, qui stipem querere salua existimatione non poterant, adhibebantur ad mensam. excipiebantur saucij testo, chirurgiq. qui vulnera obligarent, accersebantur: & salubribus recreati epulis, curribus ad nosocomia, quæ rex recens extruxit, auehebantur, quò rectius & animo curarentur & corpore. Hæretici etiam duo claro loco nati, cum illato inter epulas de Romana Ecclesia sermone, summi Pontificis potestatem firmissimis, ut sibi uidebantur, rationibus impugnarèt, contrarijs tamen argumentis euicti, catholicam fidem magno sunt ardore complexi. Dederunt autem operam nostri, quò commodius militum animis consulerent, ut uiolata ab hæreticis templa, quæ in horreorum formam impie redegerant, usitatis consecrata religionibus, diuino cultui redderentur. quod ubi esse. Etum est, tum demū & alacrius, & utilius animorū causa suscepta est. Atque hæc hactenus universæ. nūc proprie ac singillatim. Nec enim silēda duntur na uidetur obsidio, quam nobilissimum Belgij totius emporium Antuerpia sustinuit: quippe in ea res contigerunt & ad memoriam posteritatis insignes, nec ab his litteris alienæ. Compluribus ergo Flandriæ Brabantiae q. urbibus in regiam potestatem distinctionemq. redactis, cum iugum Antuerpienses improbissime detrectarent, partim mænibus lociq. opportunitate, partim Hollandie uicinitate freti, ex qua publicus commeatus commode per flumen aduehebatur; Parmensis Princeps coactis ad Scaldam. fluum

fluminis militaribus copiis, primo propugnaculum quoddam ac munimentum tormentis quatit: deinde, ubi nihil profici sentit, inter ipsum propugnaculum, & Antuerpiam, duobus ab urbe militari bus, mira industria sublicium in flumio pontem excitat, ut aditu omni terra mariq. intercluso, rebelles incole fame tabescerent. Videbant hæc illi, & qui fieri nullo modo posse suspicabantur, ut alissimum, & plus quadringentis passibus latum flumen, humano operè clauderetur, sumptus Principis conatusq. ridebant. Pontis autem ea strucitura fuit: Introque fluminis labro vallum erat erectum militari sepimento, multo milite, & tormentis instratum, cum tuendo operi, cum arcendo hosti opportunum. desixa erant à labro fluminis ad alueum usque arbores per interualla præaltae, armatae ferro, ac præacute, firmissimis inter se nexæ catenis. quarum capita è fluctibus prominentia, compactis sternebantur asseribus: in ipso vero fluij alueo naues erant tres & triginta, catenis item reuinctæ validis, & vncis anchorisq. constantes. hæ multis præsidiariorum signis & tormentorum apparatu munitæ, stratisq. malis & antennisq. asseribusq. subiectis, ijs, quas dixi, arboreibus aequali, peruum atque expeditum reddebant pontem. Ac ne quæ ipsius pontis fabricæ vis aduersaria noceret, trabes trabibus necstū cratis in formâ, verutis ac pinnis duorū triumue pedū magnitudine, dentiū instar horrētes: easq. ad teli iactum ponere utriusque locant, rixas lintribus vacuisq. vasiss.

ne subsiderent, et anchoris funeq. firmant, ut si qua
nauis incurriſſet hostilis, eā (ponte nil laſo) remora-
retur. His ita ab Imperatore summa celeritate per-
fectis, obſtupefactus hostis, damnare suam ipſe ſocor-
diam, modosq. viciſſim querere, quibus tot mēſium
labores eueteret. Primū nauibus res tentatur, quæ
textis impactæ cratibus, tū contis tū tormentis bel-
licis demerguntur. Deinde aſtu obſeruato mariti-
mo, celoces inter ſe iunctæ ſaxis onerantur ingenti-
bus, & inanibus alligatae vasis fluuiο immittuntur
in noſtrōs: ut curſu ipſo & pondere, crates ac pontē
vel rumperent, vel turbarent. ſed quoniam noſtris
non fuit difficile curſum nauium præpilatis perticie-
aut harpagonibus remorari, noua ex cogitantur, dia-
bolo architecto, nauigia; neque enim tale inuentum
ex cogitare humana mens poterat. Horum ea con-
ſtructio & fabrica fuit, ut honorarij formā tumuli
feraliſue vrmæ referrēt. erant in nauis alueo trāſuer-
ſa trabes lapidesq. in quadrum coagmentati, & ad
foros. vſque ſurgentes alueus autem ipſe molaribus
& generis cuiusque lapidibus ita refertus, ut & va-
rij cuniculi in ſpiram acti, puluere ſulphureo ple-
ni relinquerentur, & pars ſumma cippis im-
mensisq. lapidibus tegeteretur. Latebat insuper fiſtu-
la fomentario igni relictæ; igniarioq. ita librato, ut
non ante pulueres inflammaret, quam nauis ipſa in
crates ac pontem propemodum impcgiffet. fori au-
tem & conſtratae nauis tabulata ſiue ad terrendos
timidos, ſiue ad opprimendos incautos, ſpartcis mani-
pulis, pice, resina, ſulphureq. oblitis, ac mallcolis
con-

cōflagrabant. Quibus artificijs ac machinis, cū
 primum remisit aestus, tētris tenebris ardēns ex p̄
 be nauis emittitur. quod hostile portentum, dum
 procul aduentare nostri conspiciunt, cōtinuo ē ca-
 stris vna cum Principe in omnem euentum expediti
 ad ripam fluminis pontemq. conuolant. interea
 dum quidam per audaciam vel nauim ipsam con-
 scandere, vel r̄ncis remorari contendunt, ecce tibi
 repente conceptus ignis, ingenti fragore saxa quatē-
 re, torquere trabes, tempestates ac tonitrua ciere,
 immanes lapides ignitosq. globos in cālum dōmire,
 stationarios & classicos in vndas mergere, partem
 pōtis euertere, nemini denique parcere, qui vel prō-
 prius accessisset, vel etiam longius abcesset. Lamen-
 tabilis omnīū gemitus erat, funestus multorū prin-
 cipum exitus, aliorum vel mūtilatione, vel funer-
 ducentos prope homines lapidum procella contri-
 uit. Princeps ipse Parmensis quamquam Hispani
 cuiusdā impulsu vix sese ē periculo eripuerat, tamē
 vehementi aeris agitatione concussus, vna cū Mar-
 chione de Peschara in terram concidit, propiusq.
 factum est nihil, quam vt vterque militarium cor-
 porum molē, quæ lapidum prostrabat imber, oppri-
 meretur. Vicarius etiam Principis, & totius equi-
 tatus magister, aliq. clari viri fluctibus periēre,
 alijs per aerem visi sunt ad passus aliquot volita-
 re: alijs flammis pulueribusq. crēmari, fādo sanc-
 horribiliq. spectaculo. Noster autem ille de So-
 cietate Sacerdos, molaris lapsu lapidis caput iectus,
 attonitus & pene amens cecidit, moxq. alio lapide

percussus in brachio, tantum non animam edidit. E reliquis qui sani & integri erant, timore perterritis partim sese abdere, partim castra relinquere. ita alijs grauiter lastis, alijs miserabiliter extinctis, in extreum res erat adducta discrimen: sed eripuit mentem & consilium hostibus Dcus, ne iam potius victoria scirent uti. nam si tum procincta classe, quam paratam semper habebant, aere desissimo atque adeo ipsis tenebris tecti in castra pontemq. impetum vel Hollandi vel Antuerpiani fecissent; magno in periculo nostri fuissent. Patri interim cum sensus redire cœpissent, dum fractus ac debilitatus ex superiori loco in inferiorem propugnaculi parte se noctu demittit, in cloaca fœtidis referta aquis fere submergitur. sed eductus à fratre comite, hoc quoque discrimen effugit. Hunc tamen pene exanimem, & stillantem sanguine viri nobilissimi, qui fugam arripere nō tutum putarunt, summis precibus obtestantur, ut se in tantis periculis à peccatis, quæ faterentur, absoluat. nec abnuit quamuis eger & pene confectus pater; reliquamq. nobetis partem usque ad insequentem lucem non sine ingerenti doloris amplificatione traduxit. postridie in pagum ad eius hospitium lectica defertur, ubi dies aliquot grauissime laboravit. nec tamen ita conualuit, quin morbi reliquias, belliq. nota remanserint. nam brachij os, quod capiti coniungitur, comminutum & in partes fractum, nulla potuit arte curari: nec plus ei relictum est roboris (quod in tanti malis solatium reliquum est) quam ut sacris operari

operari queat. Vbi iam procella resedit, qui pa-
lo audaciores erant, ad pontem festini redeunt, re-
quo loco res eſſent, explorent. vbi ne comparuisse
quidem hostem animaduertunt, pontem ipsum mo-
mento reparant, nouosq. animos induunt. Quo
reparato, vbi videt hostis nec vires, nec animos,
noſtri desicere, lapidesq. & tela fruſtra iactari;
plures congeſminant canes (ſic enim ferales illas
naues appellabant) ſed ne ſcpius ſimiles clades ac-
cipierent, noſtri, ſubductis ab alueo repente nau-
ibus, quibus pontem continuari diximus, canibus no-
cendi vim adimunt. Nam anſam illi hærendi nullam
influuiio nauci, pontemq. longiſſime præteruelti,
ſine vlla noſtrorum plaga ſuos fruſtra ignes mc-
lareſq. lapides euomebant. Similiq. fere industria
eluta eſt à noſtris ingeniosa nauis, quæ rotarum
conuerſionibus forcipibusq. ad latera fabricatis,
pontis opera & catenarum æra diuidebat. Ergo
vbi ſuas artes hostes irritas vident, tentant vlti-
ma. Agger erat, qui Scaldæ fluij maritimiq.
eſtus impetum cohibebat. hoc pluribus perfracto
locis, alluuiione quadam tellurem obruunt, quo fa-
cilius Antuerpiani pontem declinarēt, & flexuoso
ſinu liberum ſibi in Zelandiam aditum aperirent.
ſed buic quoque machinationi per nouum à noſtris
exstructum aggerem, firmissimis munitum per in-
terualla præſidijs ac propugnaculis, eſt occurſum.
verum ne tum quidem animos illi demittunt, ſed
longa cum Zelandis & Hollandis, qui ex altera
pontis.

pontis parte suam quoque instructam habebant
classem, consultatione habita, aggerem effodere,
hunc instituunt; editoq. ex urbana turri perfidie
socijs signo, plurimo & trimque nauigio rem tentant:
sed initio feliciore quam exitu. nostris enim ad de-
fensionem pontis concurrentibus, quippe qui huic
parti minus velut infirmiori, quam munitissimo
aggeri confidebant; non fuit difficile hostibus mu-
nitiones aggeris plurimas occupare. & quidem ho-
ras iam fere septem aggere & vallo potiebantur,
laneis transuersim saccis prægrandibus, ne æneis no-
strorum pilis laderentur iniectis. omnes intercali-
gonibus alijsq. machinis vallum perfringunt, mun-
ciumq. Antuerpiam præpropere mittunt, qui de par-
ta victoria renunciet. quæ quidem haud dubie fu-
set ipsorum, si duci nostro defuisse animus, vel in-
dustria. sed laborantem & fessum militem fortissi-
mus Imperator animaduertens, hastam arripit, &
audacissimum quemque acri oratione cohortans,
Hic, inquit, nobis aut vincendum, aut moriendum
est: aggeremq. per medias pilas inuadit, eumq. bre-
ui temporis interuallo, non tamen sine multorum
vulnere & cruento recuperat, deletis vel in stataria
pugna, vel in pauido ad naves regressu non minus
tribus millibus hostium; captisq. nauibus quadra-
ginta. Quam cladem atque ignominiam ut Antuer-
piani repellerent, dæmone ad nouas eos semper ar-
tes agente, vastissimā nauim exstruunt, triplici ma-
lo ac corbe visendam: cuius statumina & costæ ita
lana, lectis, & omni sarmendorum genere tumebat
vndique,

rendique, ut ne centum quidem librarum pilis ac missilibus cederent. Hanc illi machinam finem bellū dicebant, atque hæc verba grandibus litteris in lateribus fronteq. nauis inscripserant: tantum in ea spei præsidijq. ponebant. Nec dubium fuit, quin si moles illa cursum suum per medium alueum secundò flumine tenuisset, fracto ponte, nostrorum & castri & conatus eluderet, nulloq. negotio commeatus à zelandis immitteretur in urbem. Hac ergo mo le militibus, & triplici tormentorum ordine instrueta, vñā cum alijs nauibus irruere conantur in pon tem: sed Deo propitio cum paulo longius ē portu soluissent, machina illa paululum ab alueo defle ctens, in arena tam infixa pertinaciter est, ut nulla eam vis amouerit inimita. itaque re desperata nauim tormentis omnibus spoliantes, cum reliqua clas se mæsti discedunt. Nostri diu multumq. nauim illam in medijs hærentem fluctibus admirati, hostilis versutiæ memores, eam nec subire, nec accedere proprius audebant. donec multis diebus post, propo sito ei præmio, qui eam primus conscenderet; Imperator multas ex ea resetari trahes ac tabulat d iubet, quò leuior effecta, & ad medium reducta aliueum, ad pontem usque deduceretur. Cuilis inscri ptione simul ac Princeps aspexit; Vere hic, inquit, belli finis erit. nec diu tardauit eventus. Nam Antwerpiani tanta subrum internacione pertulsi; crescente semper inedia, & desperato omni commeatu furere miseri enecti famæ; & Chilicarthas adire; sermones de ditione conferre; & plebeiorum fa

Eta manu, dira præfectis nisi pacem peterent, ministri: satis magno defectionem stetisse vrbi; scire se Principis humanitatem, nosse clementiam, nihil esse dubitandum, quò minus fieret sine cunctatione dedicatio. Quibus permoti vocibus, defectionis auctores ac principes, legatos de pace mittunt, sed cū ijs cōditionib⁹, quas victores potius, quā victos decet. posterū ad æquiores descendunt, eas tamen, quibus Societas nostra (vt est suminū hæreticorū in nos odium) tecte ab vrbe excludebatur. eos enim dūtaxat religiosorū ordines admittebāt, qui Imperatore Carolo V. Antuerpiæ domiciliū habuisset. ex quo sequebatur, locū nostris in vrbe relinqui nullū, qui in eā non ita pridē venisset. At deprehensa fraude, rescissaq. à Princeps conditione, deprecari illi, ne domus ea, quam iampridem Chiliarchis distraxerant, ad nos rediret; offerre palatium aliud augustissimum illud quidem, sed à ciuium cætu remotius, & nostris vſibus minus aptum. sed ne id quidem impetrarunt. Tandemq. pacis vtrīmq. tabulis confirmatis, octauo Käl. Septembbris Princeps vrbe, nos domo nostra potitus, integra illa quidem, sed ab omni suppellectili spoliata. In quo satis admirari & laudare diuinam bonitatem ac prouidentiam nequaquam possumus, cuius beneficio atque tutela, cum pleraque cœnobia, hæreticorum furor vel funditus evertisset, vel in priuatorum ædes vicosq. publicos convertisset; nostra domus incolumis est relicta, quamvis multis polluta sceleribus: quò velut in sentinam aliquam, totius fax ciuitatis quisquiliaq. confinxerant.

xerant. Diuiserant enim eam sibi hostes afferum contignationibus in partes duas, & alteram, quæ templum continet, dirutis iam altaribus, subductisq. aut igne crematis sanctorum iniuginibus, Calviniano ministero dederant: alteram vero notatis distinctisq. sedibus, Tribuni, Centuriones, Conquisitores, Armentarij, annonæq. structores inuaserant. penuaria autem & occultiores quidam terræ meatus, punientis exercendisq. catholicis vsui erant, quorum indices tituliq. ad posteritatis memoriam etiamnū manent. Ac ne illud quidem diuini amoris beneficium dissimulari potest, quod, cum ædes nostras, vt modo diximus, are alieno graues (nondum plane redemptis annuis censibus) senatus hereticus vendidisset, postea repetentibus sua creditoribus, aliquot aurorum millibus magno nostro bono domū illā, quā suam perpetuo sperabant fore, leuarunt: vt quicquid detrimenti è distracta supellectile factum erat, id omnē vel cōpendio recuperatum sit. Recepta iam Auterpia, & Societati suis ædibus restitutis, nihil ei fuit prius, quam vt vſitatis ceremonijs ædes sacra ab omnibus purgata sordibus lustraretur. P. autē Provincialis ad supplementum nostrorum nouas operas misit, quibus suo mox aduentu domesticas curas muneraq. diuisit. Nec defuit præclaræ occasione Parmensis Princeps, qui clausis ceteris scholis, quas hereticorum error infecerat, accersit de Societate magistros, qui litteris ac religione instituendam susciperent iuuentutem. Ac ne rebus omnibus exhausto Collegio necessarij sumptus deesse possent,

præter

præter cetera suæ liberalitatis argumenta, aureo-
centum in singulos menses, dum rectigal nobis
quotannis institueret, pollicitus est.

Hæc sunt exempla frugum, quas fudit hic an-
nus P. F. Q. C. Gratiarum, quæ Deo debentur, ma-
teria, & nouæ incitamentū industriae, quam fere ve-
tus & antiqua laceſſit. nullum fænum gratijs vbe-
rius apud Deum, nullus stimulus ad res gerendas
acrior, rei bene gestæ recordatione. gratiæ faciunt,
ne diuinæ benicitatis fons exarescat, sed perpetuo
quasi amne nōstros irriget & facundet labores:
memoria vero bene gestæ rei, ne nostri dissimiles si-
mus, sed veteris obiectu laudis accendamur ad no-
uam. Largiatur hoc suis famulis Deus, ut quo maio-
rem & gratiarum, & emulandi se ipsos caußam
babeant, maiora quoque in dies pro animis gerant:
ut ex rebus gestis iterum gratiæ existant, iterum
emulatio; & ex his vicissim ille: dum perpetua hac
vicissitudine, aucto in dies magis meritorū cumulo,
& se ad extremum, & eos, quos Deo duce seruauer-
rint, in cælum inferant. Ipsi Deo bonos & gloria in-
ſecula ſeculorum. Romæ ex Collegio Romano
Prid. Id. Nouemb. M. D. LXXXVII.

Omnium in CHRISTO Seruus.

Nicolaus Orlandinus.

